

ANSGARIUS DIRKS O.P., *De liturgiae dominicanae evolutione: (continuatio)*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), 52, (1982), pp. 5-76.

Url: <https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp>

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale [HeyJoe](#) - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the [HeyJoe](#) portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.



Nota copyright

Tutto il materiale contenuto nel sito [HeyJoe](#), compreso il presente PDF, è rilasciato sotto licenza [Creative Commons](#) [Attribuzione-Non commerciale-Non opere derivate 4.0 Internazionale](#). Pertanto è possibile liberamente scaricare, stampare, fotocopiare e distribuire questo articolo e gli altri presenti nel sito, purché si attribuisca in maniera corretta la paternità dell'opera, non la si utilizzi per fini commerciali e non la si trasformi o modifichi.

Copyright notice

All materials on the [HeyJoe](#) website, including the present PDF file, are made available under a [Creative Commons](#) [Attribution-NonCommercial-NoDerivatives 4.0 International License](#). You are free to download, print, copy, and share this file and any other on this website, as long as you give appropriate credit. You may not use this material for commercial purposes. If you remix, transform, or build upon the material, you may not distribute the modified material.



DE LITURGIAE DOMINICANAE
EVOLUTIONE*
(*continuatio*)

SCRIPSIT
ANSGARIUS DIRKS OP

In nostro praecedenti studio¹ indicavimus similitudinem inter plures rubricas praehumbertianas, prout inveniuntur in M et B, et respectivas rubricas Ordinalis Exoniensis.

Frequenter quoque Ord. Exon. et Breviarium Sarum² in textibus concordant cum B, ubi hic testis ab H discedit, quod infra semper indicabitur.

Concordant autem pariter in multis textibus Ord. Exon. et Breviarium Sarum cum B et H, ubi nempe haec duo inter se conveniunt, v.g.: Psalterium consueto more Romano per hebdomadam dividitur.

Psalmi Matutini diei Paschatis (ps. 1, 2, 3) repetuntur dominicis subsequentibus usque ad Ascensionem Domini (Ord. OP, n. 184).

Toto tempore paschali ad Matutinum tres tantum psalmi et tres lectiones dicuntur.

Per octavam Paschae, singulis diebus, ad Matutinum, iidem tres psalmi e serie 4-25 dicuntur, et quidem sabbato psalmi 22, 23, 25 (Ord. OP, n. 172)³, cum secundum Ordinem Romanum XXXA⁴ hac die psalmi 23, 24, 25 recitentur.

* Sigla et abbreviationes, quibus in hac nostra expositione utimur, indicantur infra, pp. 74-76.

¹ AFP L (1980) 5-21.

² Ut iam loco supra citato (7, nota 8) diximus, Ordinale Exon. magna ex parte refert usum Sarisburiensem (Sarum). Eorum autem quae dicenda sunt (textuum) Ordinale sola prima verba indicat, Breviarium tamen integros textus praebet. Unde in his quae sequuntur, ubi de textibus agitur, non solum Ord. Exon., sed etiam Brev. Sarum, immo plerumque solum Breviarium vel ritum Sarum adducemus.

³ Cf. Ord. Rom. Benedicti (1140-1143), Beati Petri Canonici, n. 53: P. Fabre-L. Duchesne, Censius Savelli, Le Liber censuum de l'Eglise romaine, tom. 2, Paris 1910, 155; PL 78, 1046. — Durandus, Rationale divinarum officiorum, lib. VI, cap. 89. — Ord. Carm. 151.

⁴ M. Andrieu, Les Ordines Romani du haut moyen-âge, III, 458.

Iidem psalmi cum iisdem antiphonis dicuntur ad Matutinum in festis Circumcisionis (Ord. OP, n. 51), Dedicacionis ecclesiae (*ib.* n. 249), et S. Laurentii (*ib.* n. 402).

In utroque ritu, iidem psalmi adhibentur ad Matutinum in festis B. Mariae V. (Ord. OP, n. 334), qui in Communi unius Virginis (*ib.* n. 459) ⁵.

In omnibus his casibus ritus OP sicut ritus Sarum atque Exon. discedunt ab Ordinario Innocentii III et illo Haymonis de Faversham seu a Breviario Romano.

In multis tamen Liturgia Dominicana sive primaeva sive illa ab Humberto de Romanis ordinata a Liturgia Sarum et Exon. differt, v.g.:

Cum iuxta Ord. Exon. et usum Sarum ad Primam dominicalem fere per totum annum (praeterquam temporibus Nativitatis et Paschali) ⁶ tribus solitis psalmis (53, 118, 1-16, 118, 17-32) psalmi 21, 22, 23, 24, 25, 117 (loco huius ultimi psalmi, tempore Septuagesimae ps. 92) addantur, iuxta ritum Dominicanum (B, f. 123^{rb}, Ord. n. 125) solo tempore Septuagesimae ps. 21, 22, 23, 24, 25, 92 adiciuntur eodemque tempore ad Laudes loco ps. 92 dicitur ps. 117.

Symbolum *Quicumque* in ritu Sarum fere cotidie dicitur ⁷, in ritu Dominicano omnibus diebus dominicis, nisi festum totum duplex evenit (B, f. 53^{rb}; Ord. n. 95) ^{7bis}.

In festis Epiphaniae Domini, SS. Trinitatis et S. Ioannis Baptistae ⁸ psalmi Matutini differunt.

Quinque psalmi *Laudate*, qui iuxta ritum Dominicanum (Ord. OP, n. 286) in omnibus festis totis duplicibus ad I Vesperas dicuntur (praeterquam in Epiphania Domini), in ritu Sarum et Exon. in festis duplicibus ad I Vesperas dicuntur, quandocumque ad easdem Vesperas quinque antiphonae super psalmos habentur (praeterquam in Circumcisione et Epiphania Domini, et in Purificatione B. Mariae V., in quo festo dicuntur psalmi de II Vesperis Nativitatis Domini ⁹); in festis autem

⁵ In utroque Communi dicitur ps. 86, secundum Brev. Rom. autem in Communi unius Virginis loco ps. 86 dicitur ps. 47.

⁶ Ord. Exon. 35 et 101; Brev. Sarum I, xxxix; Ord. Carm. 109, 115.

⁷ Praeterquam a feria V in Cena Domini usque ad octavam Paschae: Ord. Exon. 44, 103; Brev. Sarum III, xxxi.

^{7bis} Idem praescribitur in Actis Capituli Provincialis a. 1241 in provincia Provinciae celebrati: C. D o u a i s, Acta Capitulorum Provincialium Ord. Fr. Praed. I, Toulouse 1894, 20.

⁸ In Officio OP dicuntur psalmi de Communi unius Martyris (Ord. n. 402), in Brev. Sarum et Ord. Exon. loco psalmi 20 de Communi dicitur ps. 91. In B deest textus Nocturnorum.

⁹ Ord. Exon. 61; Brev. Sarum I, clxv; Ord. Carm. 191.

Ascensionis, Pentecostes et Dedicacionis ecclesiae psalmi feriales adhibentur sub una antiphona¹⁰.

In dominicis Adventus in ritu Dominicano una tantum antiphona super psalmos cuiusque Nocturni cantatur (Ord. n. 15), in Breviario Sarum in unoquoque Nocturno tres habentur antiphonae.

Series responsoriorum Matutini, v.g. dominicarum Adventus et Tri-dui Sacri, in duobus ritibus diversae sunt. Notatu tamen dignum est, licet hae series responsoriorum non conveniant, saepe easdem lectiones varias (cum H discrepantes) in iis responsoriis, quae communia sunt in B et Breviario Sarum, inveniri, ut infra videbimus.

Quaestio igitur de affinitate horum duorum rituum valde complexa apparet.

Saepe ab auctoribus qui historiam Liturgiæ describunt assertum est Ordinem Praedicatorum ritum Parisiensem assumpsisse vel saltem ritui Romano, prout initio s. XIII vigeat, usus Parisienses addidisse. Sed hi auctores¹¹ vel argumenta pro sua assertione non adducunt, vel, si pe-

¹⁰ Non excludimus evolutionem hac in re effectam fuisse in ipso ritu OP. Secundum E (f. 20^v) enim in I Vesperis Dedicacionis ecclesiae dicuntur psalmi feriales (« von dem tage »), et in B deest rubrica generalis praescribens in I Vesperis festi totius duplicis quinque psalmos *Laudate* esse dicendos (in unoquoque festo T.D. ad I Vesperas initia quinque psalmodum *Laudate* indicantur). — Secundum Ord. Carm. (157, 161) in I Vesp. Ascensionis et Pentecostes psalmi feriales dicuntur. — In Brev. Hereford. autem haec legitur rubrica: « Et sciendum est quod isti predicti psalmi dicuntur ad primas Vesperas in omnibus festis principalibus et duplicibus per annum exceptis illis festis quae habent psalmos sibi proprios » (HBS 46, 142): in festis Ascensionis et Pentecostes, ibi quinque dicuntur ps. *Laudate* sub una antiphona (cf. infra, n. 185).

¹¹ Hac de re scripserunt: Pierre Lebrun (1661-1729), Explication de la Messe contenant les dissertations historiques et dogmatiques sur les liturgies de toutes les Eglises du monde chrétien. Liège-Paris 1777-1778, Diss. XV, P.I., art. IV. — Vincenzo Cassito, Liturgia Domenicana spiegata in tutte le sue parti I, Napoli 1804, 14-15. — Prosp. Guéranger, Institutions Liturgiques I, Le Mans-Paris 1840, 338-339. — S. Bäumer, Geschichte des Breviers, Freiburg im Breisgau 1895, 334 et 350. — S. Bäumer-R. Biron, Histoire du Bréviaire II, Paris 1905, 42 et 65-66. — L. Rousseau, De Ecclesiastico Officio Fratrum Praedicatorum secundum ordinationem Venerabilis Magistri Humberti de Romanis, Romae 1927, 131 et 99-103. — W.R. Bonniwell, A History of the Dominican Liturgy², New York 1945, 170-173 et 190-192. — A.A. King, Liturgies of the Religious Orders, London-New York-Toronto 1956, 338-340. — N.M. Denis-Boulet, in A.G. Martimort, L'Eglise en prière³, Paris-Tournai-Rome-New York [1965], 310: « C'est ainsi que les Dominicains adoptent à peu près les usages de Paris; leur liturgie ressemble d'ailleurs à celle de plu-

cularitates afferunt quas dicunt usus Parisienses fuisse, fere semper agitur de usibus qui alibi quoque inveniebantur¹². Ad modum exempli hic referimus quae hac de re scripsit Pierre Lebrun (1661-1729): « L'uniformité de leur chant avec l'ancien chant de Paris¹³, la préparation du vin et de l'eau dans le calice avant la messe, le commencement de la messe par *Confitemini*, et quelques autres particularités qu'on voit dans les missels de Paris jusqu'au 1615, et que ces religieux ont toujours conservé, doivent constamment faire regarder leur missel comme l'ancien missel de l'église de Paris¹⁴ ».

Officium seu Breviarium secundum ritum Ordinis Praedicatorum in multis ab illo Parisiensi discrepat. Paucas vero discrepantias hic afferimus.

In ritu Parisiensi Psalterium non dividitur more Romano per hebdomadam: ad Matutinum Dominicae non 18, sed 20 psalmi (non omissis psalmis 4 et 5), ad Matutinum feriae sextae non 12, sed 17 psalmi (additis ps. 89-92 et 94) dicuntur (NHP, 18); ad Primam dominicalem tribus solitis psalmis per Adventum et a Purificatione ad Adventum (excepto tempore paschali) ps. 21-25 et 117 adduntur (*ib.* 19 et 18).

In ritu Parisiensi ad Primam et Completorium non dicitur Capitulum neque responsorium; ad *Nunc dimittis*, singulis diebus hebdomadae, cantatur antiphona propria¹⁵, et ad Completorium duae habentur orationes pro diversitate Officiorum eligendae: *Illumina* et *Veritas tua* (in ritu OP semper dicitur oratio *Visita, quaesumus*). Preces ad Primam et Completorium multo longiores sunt quam in ritu OP, et saepe per psalmum *Miserere* terminantur (*ib.* 18).

Toto quidem tempore paschali ad Matutinum, sicut in ritu Ordinis Praedicatorum, tres psalmi et tres tantum lectiones dicuntur (*ib.* 22), sed hic usus, quem Gregorius VII (1073-1085) impropertaverat¹⁶,

sieurs autres diocèses français de l'époque et à celle des cinq rites anglais traditionnels: Salisbury, Hereford, Bangor, York, Lincoln ».

¹² De usibus Parisiensibus vide: Notice historique sur les rites de l'Eglise de Paris par un prêtre du diocèse (= A.P.P. Caron, 1779-1850), Paris 1846.

¹³ De cantu Ecclesiae Parisiensis scripsit A. Gastoué, Les origines du chant liturgique dans l'Eglise de Paris, in Revue du chant grégorien, XI-XII; Idem, Le chant gallican, *ib.* XLI-XLIII.

¹⁴ L.c. (cf. notam 11).

¹⁵ Cf. Revue du chant grégorien, XII, 56-59.

¹⁶ Bernardi cardinalis et Lateranensis Ecclesiae Prioris Ordo Officiorum Ecclesiae Lateranensis, ed. L. Fischer, München-Freising 1916, 77, n. 171 et 113-114, n. 224; Durandus, Rationale, lib. V, cap. 3; cf. E. Martène, DAER, IV, XXVI, § VIII.

testante Guillelmo Durante¹⁷, s. XIII, in multis Ecclesiis invaluit¹⁸.

Dicuntur quidem, sicut in ritu OP, v.g. ad I Vesperas festorum duplicium responsorium prolixum, ad Matutinum nonum responsorium, etiamsi sequatur *Te Deum*, versiculus ante Laudes, etc., sed haec peculiaribus etiam in multis aliis Ecclesiis reperiuntur.

Nobis imprimis propositum est, hac nostra expositione, ut evolutionem Liturgiae Dominicanae illustremus, prout illam novimus e documentis praehumbertianis quae ad nos pervenerunt, deinde autem, inquisitione nostra similitudines cum aliis ritibus animadvertendo, ut viam patefaciamus ad aliquam possibilem dependentiam vel affinitatem statuendam.

In perquirenda evolutione Liturgiae Dominicae, praeter alias, haec praecipua difficultas occurrit, quod de Officio nocturno praehumbertiano, prout decurrit ab Adventu Domini usque ad Pascha, pauca sane scimus praeter ea quae habentur in codice B: secundum Supplementum codicis E praebet Laudes, et C non exhibet nisi nonnullas peculiaritates Quadragesimae et rubricas Tridui Sacri.

Non semper apparet ratio, ob quam aliqua mutatio decursu temporis inducta sit. Nihilominus mutationum rationes exquirere conati sumus: interdum evolutio iuxta principia generalia effecta esse videtur, quae principia suis locis indicabimus.

Ad ultimum, ut his animadversionibus finem faciamus, diversum sermonis genus in B (aliisque documentis praehumbertianis) et H adhibitum paucis verbis pertractare iuvat.

¹⁷ Rationale, lib. VI, cap. 89: « In quibusdam tamen ecclesiis non dicunt nisi tres psalmos usque ad penth. et hoc ex institutione Alcuini, prout dicitur sub dominica de trinitate. Sed hoc non bene fit hodie ».

¹⁸ Cf. Ord. Rom. Benedicti, Beati Petri Canonici, n. 55: « A Pascha usque in vigilia Ascensionis cantentur tres psalmi uniuscuiusque nocturni eiusdem ferie et tres lectiones »: P. F a b r e - L. D u c h e s n e, l.c. (cf. notam 3) 155; PL 78, 1047. — S i c a r d u s Cremonensis (secunda medietate s. XII), in *Mitrale seu De Officiis ecclesiasticis Summa*, lib. VII, cap. II, Dominica prima post octavam Paschae: « Et vide quia secundum Romanum ordinem semper in dominicis novem lectiones leguntur; licet Maguntinum Concilium a Pascha usque ad Pentecosten tres tantum instituerit esse legendas, ut servitium in die cantetur; quia in futuro Trinitas comprehendetur, et a sanctis in luce Domini servietur » (PL 213, 363). — In quodam Breviario Civitatis Castelli s. XII (Oxford, Bodleian Library, Canon. Liturg. 320, f. 24) haec invenitur rubrica: « A die resurrectionis usque in octava pentecostes ad nocturnum dicuntur 3 psalmi et 3 lectiones, excepto in asensio[ne] domini » (cf. *Sacris Erudiri* VI¹, 1954, 158, nota 1). Cf. M a r t è n e, DAER IV, XXVI, § VIII.

Imprimis sermo Latinus in M et B, comparatus cum illo in H usurpato, parum elegans videtur. Sic v.g. M et B utuntur verbis « transmutare¹⁹ » et « differre » (sc. festum in alium diem), ubi H adhibet verbum « transferre » (v.g. Ord. nn. 34, 262, 263, 265, 305, 307 etc.). In B invenitur verbum « obmittere », cuius loco in H legitur « omittere » vel « dimittere » (Ord. n. 8). Habentur pariter in M et B plures locutiones, quae saltem insolitae apparent²⁰ : ita v.g. in M (f. 5^v) et B (f. 191^{va}), post Completorium diei Paschae legitur rubrica: « Ecce Completorium huius diei et totius ebdomade^{20 bis} ... », in H autem eodem loco: « Hoc modo dicatur Completorium per totam hebdomadam ... » (Ord. n. 166); item in B (f. 119^{va}): « Si in sabbato LXXe ... festum simplex vel semiduplex evenerit, ad capitulum terminabitur, inde tamen fiet memoria », in H autem haec rubrica ita est redacta: « Si festum simplex vel maius ..., a capitulo inchoabitur de dominica, et memoria postea de festo fiet » (Ord. n. 259). Ut aliud adhuc exemplum afferamus: in M (f. 51^v) legitur haec rubrica: « Ant. evangeliorum ad ben. et ad magn. et orationes dominicales quere in antea post omnes dominicales ystorias »; eadem rubrica in B (f. 238^{ra}) sic sonat: « Antiphonas euuangeliorum ad bened. et magnif. et orationes dominicales quere in antea in serie euuangeliorum »; in HBrev. (f. 110^{vb}) autem legitur: « Antiphone vero ad B. et ad M. secundum quod infra (sc. f. 114^v) in serie evangeliorum cum orationibus sunt notate dicantur ».

Liturgicum quoque lexicon in his duobus codicibus frequenter differt, de quo iam in nostro praecedenti studio quaedam exempla prae buimus. En alia exempla: in B (et M) saepe adhibentur nomina collecta, antiphona de Evangelio (antiphonae Evangeliorum: M, f. 51^v; B, f. 238^{ra}), festum novem lectionum, rectores chori (B, f. 512^{rb}), ubi H utitur nominibus: oratio, antiphona ad *Benedictus* (*Magnificat*), festum simplex, cantores (Ord. n. 290). *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*, in M et B generatim psalmi appellantur, in H autem cantica. In H semper bene distinguitur inter « versum » (qui est pars responsorii sive proluxi sive brevis), magis notis musicis ornatum, et « versiculum », in B non raro adhibetur vocabulum « versus » pro « versiculus ». In M et B Communia inscribuntur « In natali unius vel plurimorum Aposto-

¹⁹ Idem verbum adhibetur in missali Parisiensi (P, f. 292^{rb}): « De ordine missarum in magnis festivitibus vel [si] necesse fuerit de transmutatione earum ».

²⁰ Ex eo quod M et B easdem insolitas locutiones exhibent, fortasse colligere possumus ambos codices ad commune exemplar referri debere.

^{20 bis} Eodem modo incipit haec rubrica in Ord. Sarum (p. 73): « Et ecce completorium huius diei et totius ebdomade sic finiatur ».

lorum », « In natali unius Evangelistæ », « In natali unius martyris pontificis », etc.; pariterque nonnulla festa inscribuntur: « In natali », v.g. « In natali beati Iacobi apostoli », « In natali sanctæ Caeciliæ Virginis et Martyris », etc., in H autem semper dicitur: « In Communi unius vel plurimorum Apostolorum », etc. (Ord. nn. 347-349; 454-460), et festa semper inscribuntur: « Sancti Iacobi Apostoli », « Sanctæ Caeciliæ Virginis et Martyris », etc.

DE SINGULARUM PARTIUM
LITURGIAE DOMINICANAE EVOLUTIONE

In referendis mutationibus in Officio Divino factis, quæ, e comparatione omnium documentorum quæ ad nos pervenerunt, cognoscuntur, minimas textuum discrepantias notare prætermisimus. Sed hic saltem memorare iuvat, repetitiones (repetendas), quæ in responsoriis prolixis post versum et *Gloria Patri* fiunt, sæpissime differre in B et H. Repetitiones in H, generatim sumptæ, breviores^{20ter} sunt quam in B et H, ad id nempe ut repetitio apprime cum versu conveniat cumque eo sensum efficiat, v.g. in responsorio sexto dominicæ I Adventus:

R̄. *Audite verbum Domini, gentes, et annuntiate illud in finibus terræ: Et in insulis quæ procul sunt, dicite: Salvator noster adveniet.* Ψ. *Annuntiate et auditum facite: loquimini et clamate.*

In B responsorium repetitur a verbis *Et in insulis*, in H autem a verbo *Salvator*, ita ut legatur: *loquimini et clamate: Salvator noster adveniet* (Ord. n. 15).

Post *Gloria Patri* in utroque codice sequuntur tantum verba *Salvator noster adveniet*.

Perraro repetitiones in H longiores sunt quam in B et M, v.g. in responsorio quinto dominicæ I Quadragesimæ:

R̄. *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra: Et convertimini ad Dominum Deum quia benignus et misericors est.* Ψ. *Revertimini unusquisque a via sua mala et a pessimis cogitationibus vestris.*

In B responsorium resumitur minus apte a verbis *Quia benignus*, in H autem melius a verbis *Et convertimini* (Ord. n. 132).

^{20ter} De hoc notat Radulphus Tungrensis in « De canonum observantia », Prop. XII: « Post *Gloria Patri* repetitio debet esse brevior quam post versum ut etiam servant Romani et Carthusienses »: C. Mohlberg, Radulph de Rivo, Der letzte Vertreter der altrömischen Liturgie, II, Münster in Westph. 1915, 78.

1. Dominica I Adventus. — Ad I Vesperas, iuxta E, dicitur *R. Ecce dies veniunt. V. In diebus illis* (= *R. 9 ad matut.*, in B et H), iuxta H autem *R. Missus est*. In B quoque invenitur *R. Missus est*, sed haec verba super rasuram scripta sunt. *R. Ecce dies* (Ierem 23, 5-6) alibi saepius occurrit in his Vesperis²¹. Capitulum tamen quod in E, B, H immediate praecedit, eundem textum praebet (Ierem 23, 5), quam ob rem *R. Ecce dies* in H alio responsorio commutatum fuisse videtur.

2. Ab initio Liturgiae Dominicanae, ut videtur, tempore Adventus cantatur in Vesperis hymnus *Conditor alme siderum* (AH LI, 46; Jahrtausend II, 3), sed in C (f. 124^r) et E, post stropham *Cuius forti potentiae* sequitur stropha:

*Occasum sol custodiens
Luna pallorem (C: pallore) retinens
Candor in astris relucens
Certos observat limites.*

Haec stropha iam non reperitur in B et H. Etiam in Liturgia Horarum iuxta Ritus Romanum haec stropha utpote fere extranea ommissa est²².

3. Responsoria prolixa per hebdomadam I Adventus. — Secundum normam in H exhibitam (Ord. n. 11) responsoria de historia dominicali hoc ordine per hebdomadam sunt dicenda, quando de Tempore agitur: « In secunda et quinta feria tria prima, in tertia et sexta feria tria media, in quarta feria et sabbato tria ultima. Et hoc observandum est nisi aliter sint signata ». In libris praehumbertianis haec norma non semper observatur. Ita v.g. in B, per hebdomadam I Adventus non repetuntur *R. 1. Aspiciens a longe* et *R. 9. Ecce dies veniunt*, at horum duorum responsoriorum loco alia duo adduntur, sc. *R. Laetentur* (CAO IV, n. 7068) et *R. Alieni non transibunt* (ib. n. 6066). Unde in B per hebdomadam I Adventus *R/R.* hoc ordine dicuntur:

feriis 2 et 5: *R. Aspiciebam, R. Missus est, R. Ave Maria* (quae sunt *R/R.* 2, 3, 4 dominicae);

feriis 3 et 6: *R. Salvatorem, R. Audite, R. Ecce virgo* (quae sunt *R/R.* 5, 6, 7 dominicae);

²¹ Cf. Durandus, Rationale divinatorum officiorum, lib. VI, cap. III; Ord. Exon.; Brev. Sarum et Eboracense.

²² Hymni instaurandi Breviarii Romani, Città del Vaticano 1968, 61, n. 65. Invenitur haec stropha adhuc in Breviario Fratrum Minorum, vi Regulae edito: Bibl. Vat., Regin. Lat. 2050 (ante a. 1250).

feria 4 et sabbato;

R̄. *Obsecro, Domine* (quod est R̄. 8 dominicae).

R̄. *Laetentur caeli et exsultet terra, iubilate montes laudem quia Dominus noster veniet Et pauperum miserebitur. Ψ. Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis. Et pauperum* (CAO IV, n. 7068).

R̄. *Alieni non transibunt per Ierusalem amplius. Nam in illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel dicit Dominus. Ψ. Ego veniam dicit Dominus et sanabo contritiones populi mei. Nam. Gloria. Et colles* (ib. n. 6066).

Communiter R̄. *Aspiciens* infra hebdomadam non repetitur²³, at propter eius gravitatem, ut videtur, ipsi dominicae reservatur, ut secundum Ord. Exon., Laudun., Carm. Alibi vero per hebdomadam repetitur cum uno solo versu, ita tamen ut idem versus non repetatur, sicut apud Praem.²⁴, vel cum solo primo versu, ut in Ordinario Remensi²⁵, vel cum solo ultimo versu *Excita*, ut apud Cist.²⁶ et in H (Ord. n. 18).

4. Sabbato hebdomadae III Adventus, i.e. sabbato Quattuor Temporum. — Secundum B et H, ad matut. haec dicuntur R̄R̄.: *Emitte Agnum, Germinaverunt, Radix Iesse*, sed versus primi et secundi responsorii diversi sunt in B et H (Ord. n. 27).

R̄. 1. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae de Petra deserti ad montem filiae Sion.*

B: Ψ. *Rorate caeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet salvatorem* (hic Ψ. deest in CAO). *De Petra.*

H: Ψ. *Ex Sion species decoris eius Deus noster manifeste veniet. Ad montem* (CAO IV, n. 6656).

R̄. 2. *Germinaverunt campi eremi germen odoris Israel, quia ecce Deus noster cum virtute veniet et splendor eius cum eo.*

B: Ψ. *Ex Sion species decoris eius, Deus noster manifeste veniet. Et splendor* (CAO IV, n. 6772).

H: Ψ. *Ecce dominator Dominus cum virtute veniet. Et splendor* (ib.).

Ratio commutationis versus secundi responsorii in H patet: versu *Ex Sion* ibidem primo responsorio adiecto, necesse erat loco eiusdem versus alium secundo responsorio apponere.

²³ Durandus, l. c.

²⁴ P. L. F. Lefèvre, L'Ordinaire de Prémontré d'après des manuscrits du XII^e et du XIII^e siècle (= Bibliothèque de la Revue d'Histoire ecclésiastique, fasc. 22), Louvain 1941, 27.

²⁵ BL VII, 97.

²⁶ Guignard, 92, II.

Notandum haec eadem tria *R̄R̄*. inveniri in Ord. Exon. et Brev. Hereford.²⁷, et quidem cum iisdem versibus qui habentur in B.

5. FERIA III et feria IV hebdomadae IV Adventus, in H (Ord. n. 31; Brev. f. 89^{va}) et E Suppl. 2^o, ad Bened. dicuntur respective ant. *Consurge* et ant. *Ponent*; in B autem dicuntur ordine inverso (f. 72^{vb}). Agitur in B, ut nobis videtur, de errore scriptoris²⁸.

6. Antiphonae O. — In E (f. 4^r) legitur: « Sprich dise sibir antifine vor dem heiligen abinde », i.e. « dic has septem antiphonas ante vigiliam sanctam ». Sequuntur septem consuetae antiphonae *O Sapientia*, etc., sed post septimam *O Emmanuel* sequitur antiphona *O Virgo virginum, quomodo fiet istud quia nec primam similem visa es nec habere sequentem. filiae Ierusalem quid me admiramini, divinum est mysterium hoc quod cernitis* (CAO III, n. 4091).

Iam Amalarius (s. IX)²⁹ memorat usum addendi ant. *O Virgo virginum* tamquam octavam. De hoc usu legitur apud Beleth († 1182?): « His septem antiphonis, que sunt de sacramento, addite sunt due, una de beato Thoma, altera de beata Maria virgine³⁰ ». Et Durandus († 1296) haec habet: « In quibusdam vero ecclesiis adduntur alie due. Prima in honorem beate Virginis Marie ... secunda pro angelo ... vel in honorem sancti Thome, cuius festum tunc accidit³¹ ».

Invenitur antiphona *O Virgo virginum* tamquam octava seu ultima³² antiphona *O* ante vigiliam Nativitatis Domini, e.g. in Ecclesia Sarisburiensi, Exoniensi³³, Herefordensi³⁴, Eboracensi (York)³⁵, sed etiam in

²⁷ HBS 37, 56 et 26, 131.

²⁸ Cf. CAO I, n. 7a. In HBrev. (f. 89^{va}) in marg. habetur: « feria tertia ad B. a. *Consurge* ... »; in textu: « feria quarta ad B. a. *Ponent* ... », sed vox « quarta » super rasuram scripta videtur. Agiturne de simplici casu?

²⁹ Liber de ordine antiphonarii XIII, 30 (ed. J. M. HANSSENS, Amalarii Episcopi opera liturgica omnia, III, 48).

³⁰ Summa de ecclesiasticis officiis, cap. 63 (CCCM, 41A, 117). Item in Ecclesia Parisiensi: NHP, 19.

³¹ Rationale, lib. VI, cap. XI.

³² Iuxta Ord. Praem. antiphonae *O* incipiunt die 14 dec., et ultima, *O Virgo virginum*, dicitur die 23 dec., sed in I et II Vesperis festi S. Thomae cantatur ant. *O Thoma Dydime*: Ord. Praem. 29; P. L. F. Lefèvre, La Liturgie de Prémontré, Louvain 1957, 72; Idem, Les antiennes *O* dans la liturgie de Prémontré, in *Analecta Praemonstratensia* XXXII (1956) 145-147.

³³ HBS 37, 58-59.

³⁴ HBS 26, 133-134: « Decimo septimo kalendas ianuarii (= die 16 dec.) semper incipiatur antiphona *O sapientia* »; pariter in Ord. Remensi: BL VII, 99.

³⁵ Surtees Society, vol. 71, 58.

nonnullis Ecclesiis Gallicis, v.g.: Laudunensi (Laon), Baiocensi (Baieux)³⁶, Cabillonensi (Chalon-sur-Saône)³⁷.

In B et H iam non dicitur haec antiphona ad Magn. ultima die ante vigiliam Nativitatis, sed in his mss habetur ad memoriam de B. Virgine in sabbatis (feria VI ad Vesperas) tempore Adventus (B, f. 511^{rb}; Ord. n. 467).

7. Vigilia Nativitatis Domini.

a) Secundum B, ad matut. haec dicuntur R̄R̄.:

R̄. *Sanctificamini hodie. V. Hodie.*

R̄. *Constantes estote. V. Sanctificamini.*

R̄. *De illa occulta habitatione sua egressus est Filius Dei. Descendet visitare et consolari omnes qui eum de toto corde desiderabant. V. Ex Sion species decoris eius, Deus noster manifeste veniet. Descendet. Gloria. Descendet* (CAO IV, n. 6393)^{37bis}.

Haec eadem tria R̄R̄. habentur in Ord. Exon.³⁸.

Tertio responsorio *De illa occulta* H substituit R̄. *Sanctificamini filii Israel. V. Ex Sion species decoris eius* (Ord. n. 35).

b) Ad Laudes, in E et B, hae antiphonae dicuntur super psalmos:

1. *Iudaea et Ierusalem.*

2. *Hodie scietis.*

3. *Crastina die delebitur.*

4. *Propter Sion.*

5. *Crastina³⁹ erit vobis salus.*

Memoratu dignum est Ordinaria Exon. et Hereford.⁴⁰ in hoc concordare cum E et B, quia haec series antiphonarum valde rara est.

In H habentur eadem antiphonae, sed alio ordine, sc. 1, 5, 2, 4, 3.

c) Rubricae de Capitulo, in quo hac die Redemptoris nostri Nativitas annuntiatur, quemadmodum habentur in B, perspicuam similitudinem exhibent cum illis quae leguntur in Consuetudinibus Cisterciensium.

En textus qui legitur in his Consuetudinibus: « In capitulo autem post primum versum prime lectionis que sic incipit. ihs. xps filius dei

³⁶ BL VI, 33 et VIII, 49-50.

³⁷ Martène, DAER, lib. IV, cap. X, n. XXXIV.

^{37bis} Agobardus Lugdunensis hoc R̄. reiecit: CCCM 52, 340.

³⁸ HBS 37, 59, ubi R̄. *Constantes* cum V. *Vos qui in pulvere* apparet; item in Brev. Sarum.

³⁹ Ita CAO III, n. 1941. In E et H legitur *Crastina die* ...

⁴⁰ HBS 37, 59 et 26, 139-140. Pariter in Brev. Sarum.

in bethleem iude nascitur. totus conventus pro veneratione sancte nativitatis prostratus orationem brevem faciat, et abbate vel priore si abbas defuerit surgente. ceteri etiam se erigant et resideant. lectorque tunc reliqua lectionis prosequatur⁴¹ ».

In B sic exstat rubrica: « In capitulo postquam dixerit lector. *ihesus xpistus filius dei in bethleem iude nascitur*. totus conventus pro veneratione sancte nativitatis domini statim prosternat se et faciat brevem orationem. Cum autem prior vel qui conventum tenet signum fecerit. surgant omnes; et lector reliqua incepte lectionis prosequatur et more solito finiat » (f. 75^{va}).

Ordinarium autem Humberti hanc breviorē exhibet rubricam: « In capitulo, postquam dixerit lector *Iesus Christus filius Dei in Bethleem Iudae nascitur*, conventus prosternat se et faciat brevem orationem. Cum autem Prior signum fecerit, surgant omnes, et lector lectionem prosequatur » (n. 37).

8. In Nativitate Domini.

a) In I Vesperis, in E et B, capitulum (Is 9, 2) incipit *Populus gentium qui ambulabat in tenebris*; eodem modo incipit in P (f. 17^{vb}) et R (f. 18^{va}) prima lectio in Missa in nocte. In Ord. Exon. (p. 61) et Ord. Carm. (p. 94) idem capitulum dicitur in I Vesperis et eodem modo incipit⁴².

In H (in omnibus libris in quibus occurrit) textus incipit *Populus qui ambulabat in tenebris*. Agitur evidenter de correctione textus latini Bibliae, de qua alia exempla videbimus.

b) Ad Matutinum, in B responsorium tertium⁴³ sic sonat:

R̄. *Descendit de caelis missus ab arce Patris, introvit per aurem Virgi-*

⁴¹ Guignard, 93; cf. Martène, DAER, lib. IV, cap. XI, n. V; DAMR, lib. III, cap. III, n. XV.

⁴² Haec versio in omnium usu fuisse videtur (cf. S. Leo Magnus, Sermo de Epiphania: CCSL 138, 175); pariter in Ord. Laudun. (BL VI, 48), Brev. Sarum et Eboracensi.

⁴³ Idem responsorium habetur in Brev. Sarum; item, sed cum prosa, in Ord. Exon., Brev. Hereford. et Brev. Eboracensi (R̄. IX.). – De hoc responsorio cf. Amalarius, Liber de ordine antiphonarii, XVIII, 10-11 (ed. J. M. Hanssens, III, 56). – Peter Wagner, Ursprung und Entwicklung der liturgischen Gesangsformen bis zum Ausgange des Mittelalters⁴, Hildesheim-Wiesbaden 1962, 291. – A. Baumstark, Byzantinisches in den Weihnachtstexten des römischen Antiphonarius Officii, in Oriens Christianus 33 (1936) 163 ss. – J. B. Pelt, Etudes sur la cathédrale de Metz, La Liturgie I (v-xiii siècle), Metz 1837, 278-279; cf. 125-

nis in regionem nostram, indutus stola purpurea Et exiit per auream portam Lux et decus universae fabricae mundi. Ψ. Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Et exiit. Gloria. Lux (CAO IV, n. 6411).

Contra verba « introiit per aurem Virginis » scripsit Agobardus, Episcopus Lugdunensis († 840) in libro suo « De Antiphonario »: « Nec per aurem Virginis Verbum Dei introisse catholicae aures ferunt, quia, cum sit incorporeum et totum ubique praesens, nec localiter accedit, nec aditu corporeo indiget; nisi forte nobis persuadere voluit, angelicorum sono verborum sacram Virginem Dei Filium concepisse⁴⁴ ».

S. Bernardus hanc imaginem hoc modo interpretatur: « Missus est interim Gabriel angelus a deo ut verbum patris per aurem virginis in ventrem et mentem eius eructaret, ut eadem via intraret antidotum quo venenum intraverat⁴⁵ ». Et apud Durandum legimus: « Descendit de caelis Christus idest de sinu Patris ut appareret visibilis. Unde egressus eius a Patre idest ab occulto et intimo Patris. Sequitur introiit scilicet per aurem Virginis idest per fidem, qui est ex auditu sicut legitur in epistula apud Romanos⁴⁶ ».

H alteram praebet formam huius responsorii: *Descendit de caelis Deus verus a Patre genitus: introiit in uterum Virginis ...* (CAO IV, n. 6410).

c) Versiculi Nocturnorum sunt hi tres:

in B: *Tamquam sponsus, Verbum caro, Ipse invocavit*. Versiculus primi Nocturni quidem erasus est, sed in primo Nocturno festi Circumcisionis (f. 85^{vb}) legitur: « Ψ. *Tamquam sponsus*. et ceteri sicut in die nat. domini ».

in H: *Verbum caro, Notum fecit, Ipse invocavit*.

Quoniam textus *Tamquam sponsus* iam adhibetur in primo Nocturno tamquam antiphona secunda, fortasse, ne idem textus bis in eodem Nocturno occurrat, in H. pro Ψ. *Tamquam sponsus* alius Ψ. substitutus est.

126. — Dominique Catta, Le texte du répons « Descendit » dans les manuscrits, in *Etudes Grégoriennes* III (1959) 75-82. — Pl. F. Lefèvre, A propos de la nouvelle fête mariale du 1^{er} janvier, in *Questions Liturgiques* 52 (1971) 36-38. — R. J. Herbert, Le répons « Suscipe Verbum » dans les antiphonaires romains, in *Questions Liturgiques* 54 (1973) 34-36.

⁴⁴ CCCM, 52, 341; PL 104, 332.

⁴⁵ Citatus in *Sacris Erudiri* VII (1955) 255.

⁴⁶ *Rationale*, lib. VI, cap. XIII.

d) Ad Laudes, E et B hanc praebent lectionem primae antiphonae super psalmos (ut in Breviario Sarum et Eboracensi):

Quem vidistis, pastores, dicite: annuntiate nobis in terris quis apparuit. Natum vidimus in choro angelorum, Salvatorem Dominum, alleluia, alleluia (CAO III, n. 4455).

H autem alteram praebet lectionem, faciliorem intellectu ⁴⁷ :

Quem vidistis, pastores, dicite: annuntiate nobis in terris quis apparuit. Natum vidimus et choros angelorum, collaudantes Dominum, alleluia, alleluia (*ib.*).

e) Ad Horas, in E et B (sicut in Brev. Exon., Sarum, Hereford.), haec R̄R̄. dicuntur: R̄. *Verbum caro*, R̄. *Ipse invocavit*, R̄. *Notum fecit*.

In H, in Officio festivo, ad Officium Matutinarum (Matutini cum Laudibus) quinque dicuntur versiculi diversi: in primo Nocturno, in secundo Nocturno, in tertio Nocturno, ante Laudes, post hymnum Laudum. Ante Laudes interdum dicitur idem versiculus qui ad Vesperas (v.g. in Assumptione B.M.V.), numquam tamen quando versiculus Vesperarum repetitur in primo Nocturno, ne bis in una eademque Hora (Matutino cum Laudibus) idem dicatur versiculus.

R̄R̄. brevia Horarum in Officio festivo, in H, sic e versiculis componuntur et disponuntur: versiculus I Nocturni fit R̄. ad Tertiam, post quod dicitur versiculus II Nocturni; hic versiculus II Nocturni dein fit R̄. ad Sextam, post quod dicitur versiculus III Nocturni; hic versiculus postremo fit R̄. ad Nonam, post quod dicitur versiculus qui in Laudibus sequitur hymnum.

Secundum hanc regulam, in recognitione prout in H reperitur constanter applicatam, in H (Ord. n. 43) habentur ad Horas R̄. *Verbum caro*, R̄. *Notum fecit*, R̄. *Ipse invocavit* (cf. supra, sub c).

g. Per octavam Nativitatis Domini, pro memoria in Laudibus et Vesperis, in E et B habentur decem antiphonae ⁴⁸ : *Lux orta est* (CAO III, n. 3652), *Virgo hodie fidelis* (*ib.* n. 5452), *Hodie intacta virgo* (*ib.* n. 3104), *Gaudeamus omnes fideles* (*ib.* n. 2926), *Nesciens mater virgo* (*ib.* n. 3877), *Virgo verbo concepit* ⁴⁹ (*ib.* 5456), *Beatus venter* (*ib.* n. 1668),

⁴⁷ De duabus lectionibus cf. R. J. H e s b e r t, in EL 52 (1938) 41-66.

⁴⁸ Cf. H. B a r r é, *Antiennes et répons de la Vierge*, in *Marianum* 29 (1967) 153 ss.

⁴⁹ R. L e R o u x, *Les antiennes et les psaumes de Matines et de Laudes pour Noël et le 1^{er} janvier*, in *Etudes Grégoriennes* IV (1961) 157.

Virgo dei genitrix ⁵⁰ (ib. n. 5448), *Pastores dicite* (ib. n. 4224), *Nato Domino* (ib. n. 3854).

In Breviario Sarum dantur novem ex his decem antiphonis, hoc ordine: *Virgo hodie fidelis, Lux orta est, Hodie intacta virgo*, etc. ut supra; deest decima: *Nato Domino*.

In Ord. Exon. (p. 69) habentur octo antiphonae: desunt prima et decima ex hac serie, sed ceterae ibi inveniuntur eodem ordine.

In H duae solae antiphonae dicuntur per octavam, in Laudibus *Nesciens*, in Vesperis *Gaudeamus* (Ord. n. 47).

Hoc fit secundum normam generalem qua per omnes octavas duae tantum antiphonae indicantur, una ad *Bened.* vel ad memoriam dicenda, altera ad *Magn.* vel ad memoriam.

10. In Circumcisione Domini.

a) In B secundum responsorium Matutini sic exstat (ut in Ord. Exon, Brev. Sarum et Hereford.):

R̄. *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis, Alleluia, alleluia.* V̄. *Lapidem quem repronaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Alleluia* (CAO IV, n. 6251).

Etiam in Breviario Romano hoc R̄. (sed cum alio versu) cum *Alleluia* dicitur.

In H idem habetur R̄., sed *alleluia* suppressa sunt: R̄. *Benedictus.* V̄. *Lapidem. Et illuxit* (Ord. n. 51).

Habemus hic aliam normam revisionis: saepissime in H, extra tempus paschale, *alleluia* suppressa sunt in responsoriis et antiphonis.

b) R̄. quintum aliud est in B aliud in H:

in B: R̄. *Continet in gremio caelum terramque regentem Virgo Dei genitrix, proceres comitantur herilem* ⁵¹, *Per quos orbis ovans Christo sub principe pollet.* V̄. *Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera factus homo. Per quos.* (ib. n. 6333).

Pro hoc responsorio in H aliud substitutum est, fortasse propter verba in corpore responsorii non facilia intellectu: *proceres comitantur heriles, per quos orbis ovans Christo sub principe pollet.* Verba *proceres heriles* videntur Apostolos designare ⁵².

⁵⁰ G. Frénaud, L'antienne mariale « Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis » pour le temps de Noël, in *Revue Grégorienne* 31 (1952) 201-209.

⁵¹ Videtur error pro « heriles ».

⁵² Cf. V. Delaporte, Le répons « Continet in gremio », in *Rassegna Gre-*

In H habetur *R. Sancta et immaculata. V. Benedicta. Quia* (Ord. nn. 51 et 41). Etiam in Breviario Romano, in quo secundum Ordinarium Innocentii III et illud Haymonis de Faversham⁵³ hac die tamquam septimum habebatur *R. Continet*, in huius responsorii locum *R. Sancta et immaculata* substitutum est.

11. In Vigilia Epiphaniae. — Secundum B dicuntur ad Matutinum *R. O regem caeli, R. Congratulamini, R. Confirmatum est*, quae sunt *R/R.* 7, 8, 6 festi Circumcisionis; secundum H eadem dicuntur *R/R.*, sed alio ordine (seu eo ordine quo habentur in festo Circumcisionis): *R. Confirmatum est, R. O regem caeli, R. Congratulamini* (Ord. n. 55). Ord. Exon. (HBS 37, 89) et Brev. Sarum eadem exhibent *R/R.*, et quidem eodem ordine quo in B.

12. In Epiphania Domini.

a) In B quintum *R.* sic exstat: *R. Omnes de Saba venient aurum et tus deferentes et laudem Domino annuntiantes Alleluia alleluia alleluia. V. Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent. Alleluia* (CAO IV, n. 7314).

Etiam in Breviario Romano hoc *R.* cum *Alleluia* dicitur. In H idem habetur *R.*, sed, sicut in secundo *R.* festi Circumcisionis (cf. supra, n. 10a) *alleluia* suppressa sunt: *R. Omnes de Saba. V. Reges Tharsis. Laudem* (Ord. n. 58).

b) Versiculi Nocturnorum, ante Laudes, post hymnum Laudum, sunt hi quinque:

in B: *V. Reges Tharsis, V. Omnes de Saba, V. Adorate Dominum (R. In aula sancta eius), V. Vidimus stellam, V. Adorate Deum (R. Omnes angeli eius).*

in H (Ord. nn. 58-59): *V. Reges Tharsis, V. Omnes de Saba, V. Omnis terra. V. Vidimus stellam, V. Adorate Dominum (R. In aula sancta eius).*

c) C duos exhibet hymnos pro Epiphania Domini, unum ad Vesperas: *Hostis Herodes impie* (ff. 125^v-126^r), alterum, sine rubrica et sine notis musicis: *Nuntium vobis fero de supernis* (f. 126^r)⁵⁴. In margine dextro (f. 126^r) legitur (estne additio?): « In laud. ymnus *Enixa est*

goriana IX (1910) 229-248; H. BARRÉ, Antiennes et répons de la Vierge, in *Marianum* 29 (1967) 181.

⁵³ VAN DIJK, Ordinal, 136; Idem, Sources II, 40.

⁵⁴ AH L, 283; Jahrtausend I, 129.

puerpera, ut supra » (= altera pars hymni *A solis ortus cardine*). Hymnus *Nuntium vobis fero de supernis*, Fulberti Carnutensis († 1028), in Ecclesia Parisiensi dicebatur ad Completorium⁵⁵.

Secundum E, B, H ad Laudes dicitur hymnus *A Patre unigenitus*⁵⁶, sed strophæ quinta, nonnullis difficultatibus laborans, in diversis lectionibus apparet:

E: *Quem iam venisse novimus
item redire credimus
tu sceptrum tuum inclitum
tuo defende clipeo.*

B: *Quem iam venisse novimus
item redire credimus
tu sceptro tuo inclito
tuum defende populum.*

H: *Quem iam venisse novimus
redire item credimus
sub sceptro tuo inclito
tuum defende populum.*

Textus prout habetur in E (fere idem in Brev. Sarum) lectioni primigeniæ proprior esse videtur.

d) In E⁵⁷ et B haec sunt R̄R̄. Horarum (cf. supra, sub b): ad III, R̄. *Reges Tharsis*, ad VI, R̄. *Omnes de Saba*, ad IX, R̄. *Adorate Dominum* (post R̄., Ψ. *Adorate Deum*. R̄. *Omnes angeli eius*). Haec eadem R̄R̄. brevia inveniuntur in Ordinario Innocentii III et illo Haymonis de Faversham.

In H, secundum normam supra (n. 8e) explicatam⁵⁸, R̄R̄. Horarum, e versiculis sub b relatis composita, ita disponuntur (Ord. n. 60): ad III, R̄. *Reges Tharsis*, ad VI, R̄. *Omnes de Saba*, ad IX, R̄. *Omnis terra* (post R̄., Ψ. *Adorate Dominum*, R̄. *In aula sancta eius*).

Secundum E et B, ad IX habetur R̄. *Adorate Dominum*, et post hoc R̄. dicitur. Ψ. *Adorate Deum*. In H, fortasse ad evitandam confusio-nem, ordo versiculorum ideoque responsoriorum brevium mutatus est.

⁵⁵ NHP, 20.

⁵⁶ AH II, 80 et XXVII, 66; Jahrtausend II, 14.

⁵⁷ In E, f. 6^{va}, in marg. sup. add.: « ze none » (ad Nonam) R̄. *Omnis terra ...*, ut in H.

⁵⁸ Cf. Analecta S.O.P. LIV (1946) 173.

13. Per octavam Epiphaniae, antiphonae ad Ben. et ad Magn. dicendae, in E (ff. 6^v-7^r) sunt quattuor: *Stella ista* (CAO III, n. 5022), *Videntes stellam* (*ib.* n. 5391), *Vox de caelis* (*ib.* n. 5507), *Admoniti magi* (*ib.* n. 1284). Eaedem quattuor antiphonae, per octavam dicendae, habentur in Ord. Exon. (HBS 37, 92) et Brev. Sarum. In B sex designantur, sed primae duae *Descendit* (*ib.* n. 2159) et *Caeli aperti* (*ib.* n. 1835)⁵⁹ sunt illae quae in ipso festo ad Ben. et ad Magn. dicuntur.

De his sex antiphonis H, sicut per octavam Nativitatis (cf. supra, n. 9) duas tantum retinuit: ad Ben. *Descendit*, et ad Magn. *Videntes* (Ord. n. 61).

14. Dominica I post octavam Epiphaniae.

a) In I Vesperis, quarta antiphona super psalmos, in E sonat: *Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio*, in B et H autem: *Deo nostro iucunda sit laudatio* (CAO III, n. 2148).

b) Responsorium sextum historiae dominicalis *Domine, ne in ira* differt in B et H, quoad versum:

R̄. *Domini est terra et plenitudo eius Orbis terrarum et universi Qui habitant in eo* (Ps 23, 1).

in B: V̄. (Ps 23, 2) *Ipse super maria fundavit eum et super flumina praeparavit eum. Orbis. Gloria. Qui habitant* (*ib.* n. 6517).

in H: V̄. (Ps 94, 4) *In manu eius sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipsius sunt. Orbis. Gloria. Qui habitant* (Ord. n. 91).

Horum duorum versuum V̄. *Ipse super maria* est magis diffusus (Brev. Sarum, Hereford.; Ord. Exon., Carm., Innocentii III, Haymonis de Faversham), alter raro invenitur. Difficile est conicere quare versus huius responsorii in H mutatus sit, nisi ob similitudinem idearum quae in Ps 23,1 *Domini est terra* et Ps 94,4 *In manu eius sunt omnes fines terrae* exprimuntur⁶⁰.

c) Secundum Ordinarium Humberti (n. 91), postquam historia *Domine, ne in ira* in dominica fuerit cantata, in reliquis dominicis usque ad Septuagesimam exclusive, loco noni responsorii dicitur R̄. *Honor* de Trinitate, quando de dominica agitur. Huiusmodi rubrica in B deest.

d) Super psalmos Laudum, secundum B, hac dominica quinque cantandae sunt antiphonae; in aliis autem dominicis, sive inchoetur historia

⁵⁹ Cf. EL 72 (1958) 6 et 33.

⁶⁰ Cf. R. L e R o u x, Les Répons « De Psalmis » pour les Matines, de l'Épiphanie à la Septuagésime, in *Etudes Grégoriennes* VI (1963) 56-57 et 135.

sive non, etiam post Trinitatem (f. 237^{vb}), prima tantum cantatur (f. 104^{ra}). Secundum Ord. Exon. et Brev. Sarum hae quinque antiphonae hac dominica et ultima ante Septuagesimam cantandae sunt, ceteris autem dominicis mediis prima tantum ⁶¹.

En quinque antiphonae (B, f. 104^r):

Regnavit Dominus praecinctus fortitudine cum decore virtutum, cuius sedes parata est in aeternum (ib. n. 4599).

Sciamus omnes quia Dominus ipse est Deus, cui iubilemus et exsulemus ⁶², et laudemus nomen eius in aeternum (ib. n. 4827).

Benedicam te, Domine, in vita mea, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam (ib. n. 1688).

Omnis creatura benedicat Dominum, hymnum dicat et superexaltet eum in saecula (cf. ib. n. 4118).

Spiritus omnis laudet Dominum, quia ipse [dixit et] facta sunt, omnia mandavit et creata sunt universa (ib. n. 5001).

Secundum H, una tantum dicitur antiphona, sc. *Regnavit*, omnibus dominicis usque ad Septuagesimam et a *Deus omnium* usque ad Adventum exclusive (Ord. n. 92). Secundum Brev. Hereford. (HBS 26, 216) et Ord. Carm. (p. 108), singulis his dominicis hae quinque antiphonae dicendae sunt.

e) Ad Tertiam, post R̄. breve *Inclina cor meum*. V̄. *Averte oculos meos* (Ps 118, 36-37), in E et B, habetur V̄. *Ego dixi: Domine, miserere mei*. R̄. *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (Ps 40,5). Hic versiculus dicitur post R̄. ad Tertiam dominicis diebus usque ad Quadragesimam (B, ff. 106^r et 123^{vb}) ⁶³, ferialibus autem diebus dicitur V̄. *Adiutor meus esto* (B, f. 108). Ad Sextam autem et Nonam, post R̄. breve (diversum pro dominicis et ferialibus diebus) idem dicitur versiculus dominicis et ferialibus diebus.

Secundum H (Ord. nn. 103 et 105), etiam ad Tertiam, dominicis et ferialibus diebus, idem dicitur versiculus post R̄. breve: *Adiutor meus esto, Domine, ne derelinquas me*. R̄. *Neque despicias me, Deus salutaris*

⁶¹ HBS 37, 100: « Hee predictae antiphonae super Laudes dicantur hac die dominica, et quando ultimo cantatur historia *Domine ne in ira* ante Septuagesimam tantum. Ceteris autem dominicis mediis, prima istarum antiphonarum, scilicet *Dominus regnavit* tantum ».

⁶² CAO, I. c.: *serviamus loco exsulemus*.

⁶³ Ubi cumque invenitur R̄. *Inclina cor meum*, ibi semper post illud sequitur V̄. *Ego dixi: Domine*.

meus (Ps 26,9). Hic quoque apparet in H studium habendi regulas simplices, sine exceptionibus.

f) in Vesperis, in E et B, ant. ad Magn. sic sonat:

Deficiente vino iussit Iesus implere hydrias aqua quae in vinum conversa sunt alleluia (ib. n. 2138).

Haec lectio invenitur etiam in aliis Breviariis huius temporis, v.g. Bibl. Vat.: Regin. lat. 2050 (posterius emendata), S. Maria Maggiore 41.

In H autem (sicut in Brev. Sarum) sic exstat:

Deficiente vino iussit Iesus implere hydrias aqua quae in vinum conversa est alleluia (ib.).

15. Feria II infra hebdomadam post dominicam I post oct. Epiphaniae.

Ad versiculum Nocturni *Domine, in caelo misericordia tua*, in B datur R̄. *Et usque ad nubes veritas tua* (Ps 35, 6); in H autem R̄. *Et veritas tua usque ad nubes* (CAO IV, n. 8026).

Agiturne in B de errore scriptoris? In Brev. autem Hereford. habetur lectio varia *Et usque ad nubes veritas tua*⁶⁴.

16. Feria V infra hebdomadam post dominicam I post oct. Epiphaniae.

Responsorium secundum differt in B et H quoad versum:

R̄. *Repleatur os meum laude ut hymnum dicam gloriae tuae, tota die magnificentiae tuae: noli me proicere in tempore senectutis. Cum defecerit virtus mea, Deus, ne derelinquas me* (Ps 70, 8-9).

in B: V̄. (ib. 23) *Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti. Cum defecerit* (CAO-IV, n. 7529). Hic versus habetur etiam in Ord. Exon., Brev. Sarum et Hereford.

in H: V̄. (ib. 12) *Deus, ne elongeris a me: Deus meus, in auxilium meum respice. Deus* (Ord. n. 114).

Ratio commutationis versus fortasse hae sunt:

a) Corpus responsorii insequentis (sc. tertii) iisdem verbis constat: *Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti*, et insuper idem textus iam adhibetur tamquam versiculus Nocturni huius feriae (Ord. n. 114). Eandem rationem suspicatur Le Roux⁶⁵.

b) Verba *Deus ne elongeris a me* melius concordant verbis corporis responsorii: *Noli me proicere in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, Deus, ne derelinquas me*.

⁶⁴ HBS 26, 6 in nota.

⁶⁵ L. c. (cf. notam 60) 80-81 et 137-138.

17. Dominica III post oct. Epiphaniae. — In E haec praebetur antiphona ad Magn.: *Surgens Iesus imperavit ventis et mari et facta est tranquillitas magna et mirati sunt universi* (CAO III, n. 5074). Haec antiphona in Ord. Exon. et Brev. Hereford. datur dominica IV post octavam Epiphaniae, quia Evangelia quae in ritu OP leguntur dominicis I, II, III, IV post octavam Epiphaniae, in ritu Sarum (Exon., Hereford.) habentur dominicis II, III, IV, V post octavam Epiphaniae.

In B et H (Ord. n. 119) autem praebetur antiphona *Domine salva nos*, ex eodem Evangelio quod legitur secundum E (*ib.* n. 2380).

18. Dominica V post oct. Epiphaniae. — Secundum H, dominica quinta post octavam Epiphaniae, si occurrit, omnia fiunt ut in praecedenti dominica quarta (Ord. nn. 121 et 593). In E, B, P, R pariter omnia fiunt ut in quarta dominica, exceptis oratione, secreta, postcommunione. En orationem propriam ⁶⁶:

Conserva populum tuum, Deus, et tuo nomini fac devotum: ut divinis subiectus officiis et temporalia utiliter ⁶⁷ *agat, et aeterna dona percipiat. Per.*

Haec oratio, eadem dominica, habetur apud Praemonstratenses ⁶⁸, non autem apud Cistercienses ⁶⁹.

19. Dominica in Septuagesima (E: « Nono sabbato ante Pascha ⁷⁰ »).

a) in B, in responsoriis ad Matutinum, non est servatus ordo narrationis libri Genesis: R̄. 7. *Tulit ergo Dominus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis* (Gen 2, 15) invenitur post responsoria de creatione mulieris: R̄. 5. *Dixit Dominus Deus non est bonum* (2, 18) et R̄. 6. *Immisit Dominus soporem in Adam* (2, 21).

Idem ordo responsoriorum habetur in Ord. Exon. (HBS 37, 108) et Brev. Sarum et Hereford. Ut autem in responsoriis ordo narrationis libri Genesis restitueretur, R̄. *Tulit ergo* in H ante alia duo insertum est, ut in Brev. Rom. (Ord. n. 123).

b) Responsorium octavum in B sic exstat:

R̄. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: Videte ne forte sumat de ligno vitae et vivat in aeternum. Ψ. Cherubim*

⁶⁶ Deshusses, n. 1111.

⁶⁷ P et R cum Deshusses: *viriliter*.

⁶⁸ Ord. Praem. 42.

⁶⁹ Guignard, 98.

⁷⁰ E, f. 8^{ra}: « An dem niundin samiztage vor den osteren sprich alsus zi vespere (= nono sabbato ante Pascha dic ita ad vespas) a. *Benedictus ...* ».

collocavit Dominus ⁷¹ *et flammeum gladium et versatilem, ad custodiendam viam ligni vitae* (Gen 3, 22, 24). *Videte* (CAO IV, n. 6571).

Ut autem Repetenda melius versui coniungeretur, H post versum (ideoque ante Repetendam) addidit verba: *et ait (Videte ...)* ⁷².

c) De commutatione versiculi post responsorium ad Tertiam, supra iam dictum est (n. 14, e).

20. Per hebdomadam Septuagesimae, ad Ben. et ad Magn., in E hae septem praebentur antiphonae:

1. *Hii novissimi* (CAO III, n. 3040).
2. *Dixit autem paterfamilias: amice ...* (*ib.* n. 2281).
3. *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est et vade* (*ib.* n. 1384).
4. *Tolle quod tuum est et vade, quia ego bonus sum, dicit Dominus* (*ib.* n. 5157).
5. *Sic erunt novissimi* (*ib.* n. 4921).
6. *Non licet mihi facere* (*ib.* n. 3921).
7. *Erunt primi novissimi* (*ib.* n. 2677).

In B sex tantum antiphonae habentur, hoc ordine: 1, 2, 4, 6, 5, 7.

Sicut per octavas (cf. supra, nn. 9 et 13), ita etiam per hebdomadas Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, H duas tantum antiphonas retinuit, et quidem per hanc hebdomadam: ad Ben. ant. *Hi novissimi*, ad Magn. ant. *Erunt* (Ord. n. 125).

21. Dominica in Sexagesima. — Versus secundi responsorii *Quadragesima dies*, in B et H in lectionibus leviter diversis apparet:

B: *¶. Noe vero et uxor eius, filii eius et uxores filiorum eius. Ingressi* (CAO IV, n. 7454).

H: *¶. Noe vero et filii eius, uxor eius et uxores filiorum eius. Ingressi* (*ib.*).

Brev. Sarum eandem praebet lectionem quae in B; in H autem servatur ordo verborum textus, prout legitur in libro Genesis (7, 13).

⁷¹ Verba *collocavit Dominus* (Gen 3, 24) desunt in CAO et in Brev. Sarum.

⁷² Similis casus habetur in *Rl. Domine, ne in ira* (CAO IV, n. 6501) dominicae I post octavam Epiphaniae: tum in B tum in H (etiam in Brev. Sarum et Eboracensi), post versum *Timor et tremor* (Ps 54,6) addita sunt verba *et dixi*, quae non leguntur in psalmo et desunt in Brev. Romano.

22. Per hebdomadam Sexagesimae, ad Ben. et ad Magn., iuxta E et B, hae quattuor antiphonae dicendae sunt, quae similiter in Ord. Exon. (HBS 37, 111) et Brev. Sarum inveniuntur:

Semen est ...

Quod autem ...

Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate (CAO III, n. 4915).

Si culmen veri honoris quaeritis, ad illam caelestem patriam quanto-cius properate ⁷³ (*ib.* n. 4882).

H de more (cf. supra, n. 20) duas tantum antiphonas retinuit: ad Ben. ant. *Semen*, ad Magn. ant. *Quod autem* (Ord. n. 126).

23. Dominica in Quinquagesima.

a) Responsorium quartum in B sic sonat:

R. *Dum staret Abraham ad radicem Mambre, vidit tres pueros descendentes per viam. Tres vidit et unum adoravit* (CAO IV, n. 6563).

Ψ. *Cumque vidisset eos cucurrit in occursum eorum adorans Dominum* (hic versus deest in CAO). *Tres.*

Brev. Sarum eandem responsorii lectionem praebet.

In Vulgata Bibliae editione legitur (Gen 18, 1-2): *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre* (Neo Vulgata: *iuxta Quercus Mambre*) ... *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum ... et adoravit in terram.*

In H, emendato textu secundum Bibliam, *R.* sic sonat:

R. *Dum staret Abraham ad ilicem Mambre* ⁷⁴, *vidit tres viros ascendentes per viam, tres vidit Et unum adoravit* ⁷⁵ (*ib.*).

Ψ. *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes iuxta eum* (hic *Ψ.* deest in CAO). *Et unum.*

In E, ad I Vesperas, habetur *R.* *Dum staret Abraham*, ut in B, sed cum hoc *Ψ.* *Ecce Sarai uxor tua pariet tibi filium et vocabis nomen eius Isaac* (cf. CAO IV, n. 6563). *Tres.*

⁷³ Hae duae antiphonae mutuatae sunt ab homilia XV S. Gregorii Magni in Evangelium dominicae Sexagesimae: PL 76 (a. 1878) 1132.

⁷⁴ Vetus Latina (ed. Beuron), 2, Genesis, 194. Lectio « ad ilicem Mambre » invenitur in pluribus Breviariis s. XIII, v.g. Bibl. Vat.: Reg. lat. 1738, 2050; Vat. lat. 12986.

⁷⁵ S. Ambrosius, De Cain et Abel, lib. 1, cap. 8, n. 30: « Sed etiam alibi cum visus esset Deus Abrahae ad ilicem Mambre ... Tres videt, unum adorat »: PL 14 (a. 1866) 350.

b) In B habetur R̄. 9. *Caecus sedebat* (CAO IV, n. 6260), quod respondet Evangelio huius dominicae. Per hebdomadam autem, loco huius responsorii dicitur:

R̄. *Veni hodie ad fontem aquae et oravi Dominum dicens: Domine Deus Abraham, tu prosperum fecisti. desiderium meum. V. Igitur puella cui dixero: da mihi aquam de hydria tua ut bibam et illa dixerit: bibe domine et camelis tuis potum tribuam, ipsa est quam praeparavit Dominus filio domini mei. Domine. Gloria. Desiderium* (ib. n. 7827).

Neque secundum Ordinarium Innocentii III, neque secundum illud Haymonis de Faversham R̄. *Caecus* iteratur per hebdomadam, « quia est de Evangelio dominicae ⁷⁶ ».

In H (Ord. n. 127) neque habetur R̄. *Caecus sedebat*, sed eius loco datur R̄. *Deus domini mei Abraham* (ib. n. 6420), neque R̄. *Veni hodie* per hebdomadam cantatur, ita ut historia dominicalis novem solis responsoriis constet, et omnia responsoria agant de Abraham.

c) Ad Primam, secundum E et B, dicitur antiphona *Iter faciente Iesu dum ambularet Iericho caecus clamabat ad eum ut lumen recipere mereretur* (ib. n. 3463). In H, in eadem antiphona, loco vocis *ambularet* legitur *appropinquaret*, secundum textum Evangelii (*Lc 18, 35*) ⁷⁷.

Hic quoque manifestatur studium textum liturgicum textui biblico quam maxime consentientem reddendi.

Brev. Sarum iterum concordat cum E et B.

24. Feriis II et III post Quinquagesimam. — Secundum E et B, aliae antiphonae ad Ben. et ad Magn. dicuntur feria II, aliae feria III:

Feria II, ad Ben., in E Suppl. 2 ⁷⁸ et B:

ant. *Miserere mei, Fili David. Quid vis faciam tibi. Domine, ut videam* (CAO III, n. 3776).

ad Magn., in E et B:

ant. *Et qui praebant increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: miserere mei, Fili David* (ib. n. 2716).

Feria III, ad Ben., in E Suppl. 2 (in marg.) et B:

ant. *Tradetur enim* (ib. n. 5165);

ad Magn., in E et B:

ant. *Omnis plebs ut vidit* (ib. n. 4149).

⁷⁶ v a n D i j k, Ordinal, 174; Idem, Sources II, 64-65.

⁷⁷ Lectio *appropinquaret* deest in CAO; invenitur tamen in pluribus Breviariis s. XIII. Antiphonarium Romanum (a. 1912) iterum legit *ambularet*.

⁷⁸ In Supplemento secundo praebentur Laudes.

In H, sicut per hebdomadas Septuagesimæ et Sexagesimæ (cf. supra, nn. 20 et 22), ita his duabus diebus eadem dicuntur antiphonæ: ad Ben. *Tradetur*, ad Magn. *Omnis plebs* (Ord. n. 127).

25. Tempus Quadragesimæ.

a) In C (ff. 127^r-129^v) hi hymni inveniuntur pro tempore Quadragesimæ: ad Matutinum ⁷⁹ *Summi largitor præmii*, ad Laudes *Iam, Christe, sol iustitiæ* ⁸⁰, ad Tertiam *Dei fide qua vivimus* (AH LI, 64, n. 63), ad Sextam *Meridie orandum est* (ib. 65, n. 64), ad Nonam *Perfecto trino numero* (ib. 16, n. 15) ⁸¹, ad Vesperas *Audi, benigne conditor*, ad Completorium (usque ad Cenam Domini) *Christe, qui lux es et dies*.

In E, deficientibus hymnis ad Tertiam, Sextam et Nonam, habentur hymni *Summi largitor, Iam Christe, Audi benigne* et *Christe qui lux es*, sed iuxta hymnum *Iam Christe*, in margine, legitur: « Va-cat » et conscripta sunt verba: « Ymnus *Ihesu quadragenariæ* » (f. 9^v).

In B, ut in E, quattuor tantum hymni proprii habentur pro tempore Quadragesimæ, sed, loco hymni *Iam, Christe*, ibi apparet (ff. 138^{va} et 291^{rb}) hymnus *Iesu, quadragenariæ* (AH LI, 58, n. 58).

In H contra, suppresso hymno *Iesu, quadragenariæ*, inveniuntur iterum quattuor hymni ut in E.

Hymni ad Tertiam, Sextam et Nonam, per breve tempus, ut patet, in usu fuerunt, sicut etiam hymnus *Laudum Iesu, quadragenariæ*.

b) *R.* In *pace*, loco *R.* In *manus*, ad Completorium cantandum, invenitur in C, E (sine rubrica), B et H. In C haec legitur rubrica: « Predictum *R.* dicatur cotidie ad completorium usque ad passionem domini » (f. 112^v). Pariter in Ord. Exon. (HBS 37, 114) ad I Completorium dominicæ I Quadragesimæ haec habetur rubrica: « Hec precedens Ant. super psalmos, scilicet *Signatum est*, et *R.* In *pace*, et Ymp. *Christe qui lux*, cotidie dicantur ad Completorium usque ad Passionem domini » et Brev. Sarum addit: « de quocumque fit servitium ». In B et H autem

⁷⁹ In hac ultima parte codicis, quæ Hymnarium dici potest, hymni Matutini omnes inscribuntur « Ad Nocturnum » vel « Ad Nocturn ».

⁸⁰ Re quidem vera hymni *Summi largitor* et *Iam Christe, sol iustitiæ* inscribuntur respective « Ad Vesperas » et « Ad Nocturnum », sed videtur agi de errore scriptoris pro « Ad Nocturnum » et « In Laudibus », quia post hymnos Horarum sequitur « Dominica I^a XL^o sabbato precedenti ad Vesperas *Audi benigne conditor* ».

⁸¹ Hi tres hymni dicebantur ad Horas in monasteriis Parisiensibus, secundum Psalterium-Hymnarium s. x; cf. A. Gastoué, Les origines du chant liturgique dans l'Eglise de Paris, in *Revue du chant grégorien* XII (1903-1904) 14.

legitur: « Hoc responsorium dicatur tantum in sabbatis et dominicis diebus et festivis [i.e. in festis simplicibus et supra] in utroque completorio usque ad sabbatum ante dominicam in passione exclusive. Ceteris autem diebus dicatur *R.* *In manus* » (Ord. n. 131). Insuper notandum est versum huius responsorii *Si dedero* et *Ψ. Gloria Patri* in C melodia simpliciore ornatos esse, sicut in Antiphonali Sarisburiensi et in Officio Completorii iuxta ritum Carmelitarum⁸².

c) Antiphona *Evigila*, a prima dominica Quadragesimae per quindecim dies ad Nunc dimittis dicenda, in C sic incipitur: *Evigila super nos rex eterne salvator* (f. 112^v). Vox « rex » deest in E, B, H; in C autem videtur esse error, quia ibi supra vocem « rex » deest nota musica.

26. Per hebdomadam I Quadragesimae. — Dominica I Quadragesimae in B et H (Ord. n. 132) habetur *R.* 9. *Ductus est Iesus* (CAO IV, n. 6529). Hoc responsorium respondet evangelio huius dominicae. Propterea in B (f. 138^{ra}) sequitur rubrica: « Hoc *R.* dicatur tantum in dominica » et additur *R.* *Angelis suis. Ψ. Super aspidem. In manibus. Gloria. Ne umquam* (ib. n. 6087). Hoc enim responsorium fit responsorium tertium feria 4 et sabbato (ff. 140^{vb}, 141^{ra}). Pariter in Ord. Exon. post *R.* 9. *Ductus est ihesus* sequitur « Feriale responsorium *R.* *Angelis suis* » (HBS 37, 114), at non patet an *R.* *Ductus est* per hebdomadam omittatur. In Brev. Sarum tamen post decimum *R.* *Angelis suis* legitur: « Hoc Responsorium erit tertium, quotiens dicetur de tertio Nocturno per ebdomadam, scilicet de temporali » (omittitur igitur tertium *R.* de tertio Nocturno, sc. *Ductus est*). Et in Brev. Eboracensi legitur: « Octavum Resp. (i.e. *Angelis suis*) et nonum (i.e. *Ductus est*) non nisi in dominica dicantur; quia de evangelio sumuntur » (Surtees Soc. 71, 278).

Mirum videtur H suppressere *R.* *Angelis suis*, retinere autem *R.* *Ductus est*, quod igitur dicendum est feria quarta et sabbato, diebus in quibus in Missa legitur evangelium proprium. Ad Matutinum autem in choro per totam primam hebdomadam Quadragesimae non leguntur lectiones de Sacra Scriptura, at, extra ordinem, lectiones patristicae de observantia quadragesimali (HLect. ff. 155^{vb}-156^{va}). Idem fit secundum Ord. Exon. et Brev. Sarum.

⁸² W. H. F r e e, Antiphonale Sarisburiense, a reproduction in facsimile of a manuscript of the thirteenth century, London 1901-1925, 150; Officium Completorii iuxta Ritus Carmelitarum, Romae [1956], 14.

27. Dominica II Quadragesimæ. — H plura mutat responsoria:

a) In B et Brev. Sarum sic exstat R̄. sextum (Gen 28, 20-22 et 18):

R̄. *Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo et custodierit me ...* V̄. *Surgens autem mane Iacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum fundensque oleum desuper ait. Erit mihi. Gloria. Et lapis* (CAO IV, n. 7650).

In ipso responsorio H mutat verba *in via ista qua* in *in via ista per quam* (Gen 28, 20), iuxta Vulgatam, in versu mutat verba *Surgens autem mane* in *Surgens mane*, et insuper omittit verba *quem supposuerat capiti suo*, quæ verba tamen leguntur in textu libri Genesis (28, 18).

b) In R̄. septimo eadem habetur mutatio:

In B sic exstat: R̄. *Erit mihi. V̄. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo et custodierit me. Decimas* (ib. n. 6668). H iterum mutat verba versus *in via ista qua* in *in via ista per quam*.

In Brev. Sarum, in R̄R̄. 6 et 7 legitur *in via ista qua*.

c) R̄. octavum in B sic reperitur:

R̄. *Dixit Angelus ad Iacob: Dimitte me, aurora est. Respondit ei: Non dimittam te nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco* (Gen 32, 26 et 29). V̄. *Benedicens benedicam tibi et multiplicabo te* (Gen 12, 2). *Et benedixit* (ib. n. 6465).

Fatendum est versum, qui habetur etiam in Ord. Exon. et Brev. Sarum, non bene responsorio coniungi. In H (Ord. n. 136) hic habetur versus: *Nequaquam vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum* (Gen 32, 28). Hic versus deest in CAO.

d) R̄. nonum aliud est in B aliud in H.

In B: R̄. *Vidi Dominum facie ad faciem Et salva facta est anima mea. V̄. Et dixi* (sic): *nequaquam vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et salva* (ib. n. 7874).

Versus huius responsorii in H iam adhibitus est in responsorio præcedenti, qua de re in H (Ord. n. 136) aliud ponitur responsorium: R̄. *Oravit Iacob. V̄. Deus in cuius conspectu. Erue me. Gloria. Erue me* (ib. n. 7334).

In Ord. Exon. et Brev. Sarum habetur R̄. nonum *Minor sum* (ib. n. 7156).

28. Sabbato post dominicam II Quadragesimæ. — In B, hac die, habetur R̄. tertium proprium:

R̄. *Pater, peccavi in caelum et coram te, iam non sum dignus vocari*

filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. V. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei. Fac. Gloria. Ex mercenariis (CAO IV, n. 7362).

Hoc responsum respondet evangelio Missae huius sabbati. Ad Matutinum autem tunc temporis non legebatur in feriis Quadragesimae homilia in evangelium diei⁸³, sed lectiones sumebantur de Sacra Scriptura, et quidem per hanc hebdomadam de libro Genesis, de historia Isaac et Iacob⁸⁴. Recte igitur in H tamquam R̄. tertium ponitur R̄. nonum historiae dominicalis, sc. R̄. *Oravit* (*Gen* 32, 9 et 11; 48, 15). Hac insuper ratione historia dominicalis novem solis responsoriis constat (cf. supra, nn. 3, 23b, 26).

In Ord. Exon. et Brev. Sarum ponitur tertium R̄. *Pater peccavi*, ut in B.

29. Feria IV post dominicam III Quadragesimae. — In B haec legitur rubrica: « R̄. *Merito hec. R̄. Tollite hinc. R̄. Iste est* » (f. 152^{va}). Primum et secundum responsum sunt R̄R̄. 7 et 8 historiae dominicae praecedentis, R̄. *Iste est* (CAO IV, n. 6999) autem non est unum e novem responsoriis illius historiae. Fortasse haec rubrica inveniebatur in exemplari quod scriptor ante oculos habebat et ordinationem Officii refert codice B anteriorem. In Ord. Exon. et Brev. Sarum pro tertia hebdomada Quadragesimae praebentur R̄R̄. ferialia *Iste est frater, Dixit Ioseph, Nuntia-verunt*, quae singula supponuntur dicenda ut tertium responsum.

30. Dominica in Passione.

a) Secundum E et B, ad Vesperas, Laudes et Tertiam, in hac dominica et sequenti, dicitur Capitulum *Iudicasti, Domine, causam ani-*

⁸³ Homiliae in evangelium diebus ferialibus Quadragesimae in ritu Dominicano primum apparent in Brev. OP a. 1603. Secundum Ordinarium Innocentii III et illud Haymonis de Faversham, diebus ferialibus Quadragesimae ad Matutinum legitur homilia in evangelium diei. Item secundum Ord. Carm. (p. 117). Secundum tamen Ord. Exon., Brev. Sarum, B et HLect., in feriis Quadragesimae, exceptis feriis IV Cinerum et feriis hebdomadae primae, usque ad Cenam Domini leguntur lectiones de Sacra Scriptura. Secundum Ord. Laudun. (BL, VI, 86, 101-102) leguntur similiter usque ad Cenam Domini lectiones de Sacra Scriptura, exceptis feriis IV Cinerum et Quattuor Temporum. Secundum Institutiones quoque Massiliensis Ecclesiae (BL XIV, 51) in feriis Quadragesimae leguntur lectiones de Sacra Scriptura.

⁸⁴ B (f. 145^{va}): « Lectiones feriales a. XXVIII. capitulo usque ad .XXXII. ad libitum ». Secundum HLect. (f. 157^{r-v}) hoc sabbato in choro legitur *Gen* 32, 1-12 (oratio Iacob, antequam fratri suo obviam venit), ad quam lectionem apte convenit R̄. *Oravit*.

mae meae: defensor vitae meae, Domine Deus meus (Thren 3, 58), diebus autem ferialibus usque ad Cenam Domini, ad easdem Horas dicitur Capitulum *Tu autem, Domine Sabaoth* (Ierem 11, 20). Ad Sextam tamen et Nonam idem dicitur Capitulum et dominicis et ferialibus diebus.

Diebus ferialibus, secundum E, B, H, dicitur ad Tertiam antiphona *Iudicasti, Domine, causam ...* Ne igitur ad hanc Horam antiphona et Capitulum subsequens iisdem constet verbis, secundum E et B diebus ferialibus ad Vesperas, Laudes et Tertiam dicitur Capitulum *Tu autem, Domine Sabaoth*.

Secundum H (Ord. nn. 144, 147) ad Vesperas, Laudes et Tertiam, diebus tum dominicis tum ferialibus idem dicitur Capitulum, sc. *Tu autem Domine Sabaoth*, sicut etiam fit ad Sextam et Nonam.

b) In E et B, ad Nonam, post *R̄*. breve invenitur *Ψ. Intende animae meae* qui est idem ac versiculus ante Laudes. Sed ad Nonam repetendus est versiculus qui in Laudibus dicitur post hymnum (cf. supra, n. 12d). Quapropter in H (Ord. n. 147) habetur ad Nonam *Ψ. Eripe me de inimicis meis*, qui est, etiam secundum E, B, H, versiculus post hymnum Laudum.

31. Feria II post dominicam in Passione.

a) In B et H, dominica in Passione, primum responsorium hoc est:

R̄. Isti sunt dies, quos observare debetis temporibus suis: Quartadecima die ad vesperum Pascha Domini est ... (cf. Lev 23, 4-6). Patet hunc textum sumptum fuisse ut responsorium pro dominica in Passione, quia post quattuordecim dies erit Pascha, ideoque hoc responsorium soli dominicae profecto est accommodatum. Propterea hoc *R̄*. in B non repetitur infra hebdomadam, sicut neque in Ord. Exon. et Brev. Sarum⁸⁵.

In B, feriis 2 et 5, loco *R̄. Isti sunt dies*, ponitur

R̄. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me, Respice et exaudi me, Domine Deus meus. Ψ. Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speravi. Respice (CAO IV, n. 7811).

In H autem, servata norma generali, *R̄. Isti sunt dies*, repetitur infra hebdomadam (cf. supra nn. 3, 23b, 26, 28).

b) In E, ad Vesperas, haec dicitur oratio, cui in Missa respondere debet oratio super populum:

⁸⁵ Non invenitur in Ord. Exon. et Brev. Sarum rubrica generalis, secundum quam primum responsorium historiae dominicalis infra hebdomadam semper omitendum est, sicut fit in Brev. Rom.

Da quaesumus Domine populo tuo spiritum veritatis et pacis ut te tota mente cognoscant (sic) et quae tibi placita sunt, pia devotione exercent. Per ⁸⁶.

Haec eadem oratio invenitur in Brev. Sarum ad Vesperas et, ut oratio super populum, in Missali Sarum.

In P, R, B, H autem habetur oratio (oratio super populum):

Da quaesumus Domine populo tuo salutem mentis et corporis ... defendi. Per., ut in Brev. et Missali Eboracensi, atque in Brev. et Missali Rom.

32. Feria VI post dominicam in Passione:

a) Oratio huius diei *Cordibus nostris ... deputemur aeternis*, generatim sic incipit: *Cordibus nostris quaesumus Domine benignus infunde vel Cordibus nostris quaesumus Domine gratiam tuam benignus infunde* (Brev. Eboracense, Brev. et Missale Rom.), in mss autem ad ritum Dominicatum pertinentibus (E, B, P, R, H): *Cordibus nostris quaesumus Domine auxilium gratiae tuae benignus infunde*. Haec ultima lectio varia valde rara esse videtur, quia non indicatur apud Deshusses ⁸⁷, neque apud Bruylants ⁸⁸, occurrit tamen etiam in Brev. et Missali ⁸⁹ Sarum atque in Missali Eboracensi.

b) In E, ad Vesperas, haec invenitur oratio, cui in Missa respondere debet oratio super populum:

Concede nobis quaesumus Domine veniam peccatorum et religionis augmentum atque ut in nobis tua bona multiplices, tuis fac mandatis promptiores. Per ⁹⁰.

Haec eadem oratio habetur in Brev. Sarum ad Vesperas et, ut oratio super populum, in Missali Sarum.

In P, R, B, H autem dicitur oratio (oratio super populum):

Concede quaesumus omnipotens Deus, ut qui protectionis tuae gratiam ... mente serviamus. Per, ut in Brev. et Missali Eboracensi, atque in Brev. et Missali Romano.

⁸⁶ Haec oratio, ultimo inciso mutato (*toto corde sectetur loco pia devotione exercent*) invenitur in nonnullis sacramentariis, non tamen in hac feria, v. g. Veronensi, n. 1056; Gregoriano (ed. Deshusses), n. 921; Engolismensi, n. 1970; Fuldensi, n. 1688. In Portiforio S. Wulstani (HBS 89, n. 28) habetur ut collecta ad Vesperas dominicae I Adventus.

⁸⁷ Deshusses, n. 304.

⁸⁸ Bruylants, II, n. 145.

⁸⁹ In editione Missalis Sarum datur in nota lectio varia *gratiam tuam*.

⁹⁰ Cf. Sacramentarium Veronense, n. 57; Bergomense, n. 944; Ariberti, n. 720.

33. Dominica in Ramis Palmarum.

a) Ad Matutinum B præbet R̄. nonum *Ingrediente Domino* (CAO IV, n. 6961), sicut v.g. Ord. Laudun. et Baiocense (in quibus cetera quoque octo R̄R̄. eadem sunt quæ in B et H). Ad I Vesperas huius dominicæ in B et H dicitur R̄. *Circumdederunt*, quod in B non est unum e novem R̄R̄. Matutini, ideoque historia dominicalis in B decem constat R̄R̄; sed secundum normam in H constanter adhibitam historia dominicalis novem tantum R̄R̄. constet, quamobrem, ut videtur, in H (Ord. n. 149) positum est ad Matutinum nonum R̄. *Circumdederunt* (cf. supra, nn. 3, 23b, 26, 28, 31a).

In Ord. Exon. et Brev. Sarum post R̄. IX. *Cum audisset turba* sequitur R̄. *Ingrediente Domino*, sed cum hac rubrica: « Hoc prædictum R̄. non dicitur ad has Matutinas, sed ad Processionem huius dominicæ, sc. in introitu ecclesiæ ».

b) Secundum Ordinarium Humberti R̄R̄. proluxa et versiculi Horarum dominicæ in Passione dicuntur cotidie usque ad Cenam Domini exclusive, quando de Tempore agitur (n. 147). In E et B autem, dominica in Ramis palmarum, dantur ad Horas R̄R̄. proluxa propria, dicenda usque ad Cenam Domini exclusive, sc. R̄. *Fratres mei*, R̄. *Attende*, R̄. *Noli esse* (quæ sunt R̄R̄. II, III, VI Matutini huius dominicæ): post hæc R̄R̄. non dicuntur versiculi dominicæ in Passione, at hi qui sequuntur: ad III, Ψ. *Erue a frænea*, ad VI, Ψ. *De ore leonis*, ad IX, Ψ. *Ne perdas*. Secundum Ordinarium autem Humberti, ut dictum est supra, dicuntur iidem versiculi atque in dominica in Passione, qui, iuxta normam generalem, sunt versiculi secundi et tertii Nocturni et ille Laudum (cf. supra, n. 8e et 12d).

In Ord. Exon. et Brev. Sarum ad III et VI eadem dicuntur R̄R̄. proluxa quæ in E et B, ad IX tamen R̄. *Salvum me fac* (quod secundum Ord. Exon. et Brev. Sarum est R̄. IV Matutini, deest autem in B), tres vero versiculi iidem sunt qui in E et B.

34. Feria IV post dominicam in Ramis Palmarum. — In B, ad Matutinum dicuntur, secundum normam generalem (f. 54^{rb}), R̄R̄. tertii Nocturni dominicæ præcedentis, sed loco tertii R̄. *Ingrediente Domino* (cf. supra, n. 33a), quippe quod huic feriae non congruat, exhibetur:

R̄. *Viri impii dixerunt: opprimamus virum iustum iniuste et deglutiamus eum tanquam inferi vivum, auferamus memoriam illius de terra, et de spoliis eius sortem mittamus inter nos; ipsi enim homicide thesaurizaverunt sibi malum, insipientes et maligni oderunt sapientiam Et rei facti sunt in*

cogitationibus suis. V. Hec cogitaverunt et erraverunt, excecavit enim illos malitia eorum. Et rei. Viri impii (CAO IV, n. 7905).

35. Feria V in Cena Domini.

a) Versiculus secundi Nocturni in B et Brev. Sarum hic est: *V. Deus meus eripe me. [R.] De manu peccatoris*, in H autem: *V. Deus meus, eripe me de manu peccatoris. [R.] Et de manu contra legem agentis et iniqui* (CAO IV, n. 8010).

b) Responsorium quintum in B sic incipit: *Unus ex discipulis meis tradet me* (CAO IV, n. 7809), sicut v.g. in Ord. Exon., Brev. Sarum, Brev. Eboracensi, in Ordinario Innocentii III et in Ordine Breviarii Haymonis de Faversham (R. VI), in H autem ita: *Unus ex vobis tradet me*, lectio rara (*ib.*), sed textui Evangelii respondens (*Mc* 14, 18; *Io* 13, 21). Agitur iterum, ut videtur, de emendatione secundum textum biblicum.

36. Preces in fine Laudum Tridui Sacri⁹¹. — Certe iam fine s. x⁹², exstat compluribus locis usus cantandi, ultimis tribus diebus hebdomadae sanctae, in fine Laudum Preces seu *Kyrie* cum tropis vel versibus. Inveniuntur dicti tropi apud Ioannem, prius Abrincensem (Avranches), deinde Rothomagensem episcopum⁹³ et Sicardum Cremonensem († 1215)⁹⁴. Ioannes Beleth memorat hunc usum, sed textus non praebet⁹⁵.

⁹¹ Cf. Félix Clément, *Histoire générale de la musique religieuse*, Paris 1861, 205-207. — A. Collette, *Histoire du Bréviaire de Rouen*, Rouen 1902, 128. — J. Pothier, *Chant de la litanie avec tropes ou versets à l'office des ténèbres*, in *Revue du chant grégorien* XI (1902-1903) 133-140. — M. Van Waefelghem, *Liturgie de Prémontré. Le « Liber Ordinarius » d'après un manuscrit du XIII^e-XIV^e siècle*, in *Analecta Praemonstratensia*, 1906-1913 (cum paginatione propria), 205, nota 1. — P. F. Lefèvre, *La Liturgie de Prémontré*, Louvain 1957, 157. — E. Martène, *DAER*, lib. IV, cap. XXII, De Cena Domini, § 1, VIII. — Idem, *DAMR*, lib. III, cap. XIII, 12-13.

⁹² Antiphonarium a B. Hartker scriptum, s. x (St. Gallen, cod. 390-391): *Paléographie Musicale*, II^e série, I, Solesmes 1900, 225. Secundum Consuetudinarium Aethelwoldi pro monachis Angliae scriptum, quod vocatur « Regularis Concordia » (fine s. x), olim Sancto Dunstano ascriptum, in fine Laudum his diebus cantantur invocationes *Kyrie*, sed tropi vel versus ibi non habentur: PL 137 (a. 1879) 490.

⁹³ De officiis ecclesiasticis (± 1065): PL 147 (a. 1879) 48.

⁹⁴ *Mitrale seu de officiis ecclesiasticis summa*: PL 213 (a. 1855) 299-300.

⁹⁵ *Summa de ecclesiasticis officiis* (± 1165), cap. 102, h: CCCM, XLIA, 191. In Ecclesia Parisiensi hae Preces in usu erant, ut attestatur Caron in NHP, 22: « Après les Laudes on chante *Kyrie* avec les versets, comme nous le faisons encore; quelques-uns de ces versets diffèrent des nôtres, par exemple celui-ci: *Agnus mihi basia cui lupus dedit venenosa*. On les retrouve pareils dans tous les Bréviaires jusqu'en

Numerus invocationum *Kyrie* vel *Christe eleison*, sicut etiam numerus et dispositio troporum seu versuum variantur secundum Ecclesias, Ordines religiosos et monasteria.

Generatim iidem versus cantantur feria V, feria VI et sabbato, hiique versus sequuntur invocationem *Kyrie* vel *Christe eleison*, v.g. tres in Ecclesia Rothomagensi⁹⁶, in monasterio Casinensi⁹⁷, in Ordine Praemonstratensi⁹⁸ et in Ordine Carmelitarum⁹⁹; sex in Ecclesia Laudunensi¹⁰⁰ et Baiocensi¹⁰¹; novem in Antiphonario Vigorniensis (Worcester)¹⁰².

Ordinarium Senense non memorat numerum versuum, sed secundum hoc Ordinarium versus cantantur ante invocationem *Kyrie* et « versus *Vita in ligno ponitur* (sic) tantum in sexta feria dicatur¹⁰³ ».

In quodam breviario musice notato s. XIII, in Austria scripto, habentur, feria V, quattuor versus et in fine cantatur hymnus *Rex Christe factor omnium*¹⁰⁴.

1633 ». Secundum Breviarum Parisiense a. 1758 his tribus diebus cantatur *Kyrie* cum iisdem sex tropis, omnibus genuflexis. Concordant rubricae quae leguntur in B cum illis Brev. Parisiensis a. 1758 in hoc quod secundum utrasque feria V versus cantantur a duobus presbyteris, feria VI a duobus diaconis, sabbato a duobus subdiaconis (B, f. 177^v^b addit: « ubi commode poterit observari »). In C (qui codex ante B scriptus esse videtur) hi versus simpliciter duobus fratribus iniunguntur cantandi, sicut in H (Ord. n. 152).

⁹⁶ A. Collette (cf. notam 91); Ordinarium canonicorum regularium S. Laudi Rothomagensis: PL 147 (a. 1879) 169. Tropi qui leguntur in hoc Ordinario non sunt iidem quos refert Collette.

⁹⁷ T. Leuterman, Ordo Casinensis Hebdomadae Maioris (saec. XII), Montecassino 1941, 35-36 et 101-102.

⁹⁸ Ord. Praem. 57.

⁹⁹ Ord. Carm. 137, 141, 145.

¹⁰⁰ BL VI, 108, 112, 115.

¹⁰¹ BL VIII, 123, 130, 134-135.

¹⁰² Ant. Monasticum s. XIII: Paléographie Musicale XII, 120, 121, 124, 127.

¹⁰³ J. C. Trombelli, Ordo Officiorum Ecclesiae Senensis (a. 1213) Bononiae 1766, 123: « Deinde Cantor, et qui cum eo sunt, cantant prosas cum organo. *Qui propheticæ*. Primo versu cantato, chorus cum populo dicit *Kyrie*, ut prius ». Quid simile legitur apud Sicardum Cremonensem (cf. notam 94): « Chorus vero et populus semper respondeant, *Kyrie eleison, Domine, miserere*. Hoc tamen, quia pro nobis vita in ligno moritur, non nisi in sexta feria proferatur »: l. c. 300.

¹⁰⁴ R. Radó, Mittelalterliche liturgische Handschriften deutscher, italienischer und französischer Herkunft in den Bibliotheken Südosteuropas, in Miscellanea Liturgica in honorem L. Cuniberti Mohlberg II, Roma 1949, 356-357. Hi praebentur versus: *Iesu Christe qui passurus. Qui propheticæ. Qui expansis. Vita in ligno*. De cantu hymni *Rex Christe factor*, vide J. Pothier, l. c. (cf. notam 91), 138-139.

Eandem dispositionem, i.e. eosdem quattuor versus praebet, Sabbato Sancto, Antiphonarium monasticum a B. Hartker scriptum sed de quarto versu, sc. *Vita in ligno*, non patet quomodo litaniae sit inserendus¹⁰⁵.

In Breviario Eboracensi (Surtees Society, 71) et in Breviario Herefordensi (HBS, 46), in quolibet horum trium dierum tres praebentur versus proprii, qui tamen non sunt iidem in ambobus Breviariis.

In Ritu Sarisburiensi¹⁰⁶ (et Exoniensi) et in Liturgia Dominicana textus troporum est idem et tropi eodem modo disponuntur, nisi quod secundum usum Sarum tropi cantantur post, in ritu vero Dominicano ante invocationem *Christe eleison*: iidem tres cantantur feria V in Cena Domini et Sabbato Sancto, alii tres in Parasceve. In magna diversitate, quae pro numero et dispositione troporum invenitur, haec similitudo tum in textibus tum in rubricis seu caeremoniis concomitantibus maxime notatu digna est.

En rubricae et dispositio harum Precum in ambobus ritibus:

FERIA V IN CENA DOMINI

Ord. Exon., p. 133

« Ps. *Laudate*. Dum iste psalmus canitur, lumen ubi videri nequeat abscondatur. Finita vero antiphona, una sola candela que remanserit extingatur, et si qua sint luminaria alia per ecclesiam extinguantur, seniore inchoante Ant. *Traditor autem*. ps. *Benedictus*. Sicque *Benedictus* et cetera omnia que sequuntur in tenebris dicantur ».

C, f. 114^r; B, f. 177^r^b

« dum psalmus iste canitur lumen ubi videri nequeat abscondatur et lampades que per ecclesiam sunt extinguantur. finita quinta ant. post *laudate*. mox ant. super *benedictus* a priore vel ebdomad. incipiatur. et eodem momento medius cereus qui usque tunc solus ardens remansit extingatur sicque *benedictus* et (C: cetera) omnia que sequuntur in tenebris dicantur ».

Ord. n. 152: « dum psalmus *Laudate* dicitur, lumen ubi videri nequeat abscondatur, et lampades quae sunt per ecclesiam extinguantur. Finita quinta antiphona post *Laudate*, mox antiphona ad *Benedictus* ab eo qui praeest incipiatur, et cereus qui usque tunc solus ardens remansit extingatur, sicque *Benedictus* et omnia quae sequuntur, in tenebris dicantur¹⁰⁷ ».

¹⁰⁵ Cf. notam 92; cf. pariter J. P o t h i e r, l. c. (cf. notam 91), 134-135.

¹⁰⁶ W. H. F r e r e, Antiphonale Sarisburiense (fine s. XIII), 221, 228-229, 234; Brev. Sarum. In Brev. Aberdonensi (Aberdeen) iidem inveniuntur tropi.

¹⁰⁷ In Ordinario Rothomagensi legimus rubricam huic rubricae valde similem:

*Kyrie eleison (ter)*¹⁰⁸

Domine, miserere.

Christus Dominus factus est oboediens usque ad mortem.

*Christe eleison*¹⁰⁹. *Ψ. Qui passurus advenisti propter nos.*

Christe eleison. Ψ. Qui expansis in cruce manibus traxisti omnia ad te saecula.

Christe eleison. Ψ. Qui propheticè prompsisti: Ero mors tua, o mors.

Domine, miserere.

Christus Dominus factus est oboediens usque ad mortem.

Kyrie eleison (ter)

Domine, miserere.

Christus Dominus factus est oboediens usque ad mortem.

Mortem autem crucis.

Ord. Exon., p. 134

C, f. 114^v; B, f. 177^v^b-178^{ra}

« Tunc prosternant se omnes, et unusquisque dicat *Pater noster*. Deinde bini et bini dicant submisse quasi murmurando ps. *Miserere* sine¹¹⁰. *Gloria patri*, cum oratione sic incipiendo *Respice quesumus domine cum Qui tecum* – non respondeatur *Amen* – sine *Dominus vobiscum* et sine *Oremus* et sine *Benedicamus*, et hec omnia privatim dicantur.

« finitis versibus fratres prosternant se omnes et unusquisque dicat *pater noster*, et duo et duo dicant privatim psalmum *miserere* sine *gloria patri*, cum oratione *Respice quesumus domine* sine *Dominus vobiscum* et sine *Oremus* et absque *Qui tecum*, et

Deinde pulsante ter seniore manu librum surgant omnes, et lumen proferatur ».

facto signo a prelato surgant omnes et lumen proferatur ».

Ord. n. 152: « Finito versu *Mortem autem* prosternant se omnes, et unusquisque dicat *Pater noster*. Quo dicto, duo et duo dicant privatim psalmum *Miserere* cum oratione *Respice*, sine *Dominus vobiscum* et sine

« Dum psalmus *Laudate Dominum de caelis* canitur, lumen a sacrista recondatur, et si quae sunt per ecclesiam luminaria exstinguantur; deinde ubi finita antiphona praelatus antiphonam *Traditor autem* imposuerit, subito illa candela quae remanserat exstinguatur, sicque *Benedictus* et cetera quae sequuntur in tenebris dicantur... Postea praelato sonitum dante lumen proferatur »: PL 147 (a. 1879), 169.

¹⁰⁸ Partes quas habent solistae et chorus in cantandis *Kyrie* et versibus, differunt in duobus ritibus.

¹⁰⁹ Secundum ritum OP *Christe eleison* cantatur post tropos.

¹¹⁰ Lectio varia in Ord. Exon.: « cum *Gloria* ».

Oremus et absque Qui tecum. Et non dicatur Amen nec Benedicamus nec Fidelium, sed dicto post orationem Pater noster et facto signo a praelato surgant omnes et lumen a sacrista proferatur ».

FERIA VI IN PARASCEVE

Ord. Exon., p. 136

C, f. 115^r; B, f. 183^{rb}

« ps. *Benedictus*. Finita antiphona, « Finita ant. ordo de precedente ordo de precedente nocte servetur nocte servetur cum hiis versibus (C: cum hiis tamen tribus versibus » versiculis ».

∩. *Agno miti basia cui lupus dedit venenosa.*

∩. *Vita in ligno moritur: infernus et mors lugens spoliatur*¹¹¹.

∩. *Te qui*¹¹² *vinciri voluisti nosque a mortis vinculis eripuisti.*

C, f. 115^{r-v}; B, f. 183^{rb}

« Cetera omnia fiant sicut in prima nocte » « Cetera omnia supradicto modo dicantur ».

Ord. n. 156: « Finita antiphona cantetur *Kyrie* et cetera sicut in praecedenti nocte, cum his versibus: ∩. *Agno miti*. ∩. *Vita in ligno*. ∩. *Te qui* ».

SABBATO SANCTO

Ord. Exon., p. 138

C, f. 115^v; B, f. 187^{va}

« Cetera omnia sicut in prima nocte, « *Kyrie* et cetera omnia (B: om. etiam versiculus *Mortem autem crucis* » « omnia ») sicut in prima nocte ».

Ord. n. 157: « *Kyrie* et cetera omnia sicut in nocte Cenaee ».

37. Parasceve. — Responsorium quintum¹¹³ in B et Brev. Sarum lectionem exhibet, quae non raro reperitur (CAO IV, n. 7760):

Rj. *Tenebrae factae sunt dum crucifixissent Iesum Iudaei: et circa ho-*

¹¹¹ Lectio communior huius versus sic sonat: *Vita in ligno moritur: infernus ex morsu despoliatur (expoliatur)*: CAO IV, n. 8449. Fortasse haec lectio est interpretatio libera versus Osee 13, 14 (secundum Vulgatam Bibliae editionem): *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Usus autem Sarum et ritus Dominicanus in altera lectione concordant, quae etiam habetur in Antiphonario Vigorniensis (cf. notam 102).

¹¹² Ita etiam in Brev. Eboracensi et Aberdonensi; in Brev. Sarum autem, Exon., Hereford. legitur *Teque*: CAO IV, n. 8448.

¹¹³ Cf. R. H e s b e r t, Le Répons *Tenebrae* dans les liturgies romaine, mi-

ram nonam exclamavit Iesus voce magna: Deus meus, ut quid me dereliquisti. Et inclinato capite emisit spiritum. Tunc unus ex militibus lancea latus eius perforavit et continuo exiit sanguis et aqua. ¶. Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato.

Textus autem primigenius huius responsorii hic videtur fuisse:

℟. Tenebrae factae sunt dum crucifixissent Iesum Iudaei: et circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna: Deus meus (vel Deus, Deus), ut quid me dereliquisti. Tunc unus ex militibus lancea latus eius perforavit et continuo exiit sanguis et aqua. Et inclinato capite emisit spiritum. ¶. Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato.

Ordo eventuum prout in hoc ultimo responsorio refertur- transfixio lateris Iesu ante eius mortem- nititur in textu interpolato evangelii Matthaei (in quo post versum 27, 49 insertus est *Io* 19, 34), qui textus invenitur in pluribus codicibus antiquis manu scriptis Evangeliorum, tum latinis tum graecis.

Immo idem ordo eventuum iam describitur in Traditione Apostolica S. Hippolyti (initio s. III). In capitulo « De tempore quo oportet orare », fideles incitantur ut etiam tempore horae nonae magnam precem faciant: « Illa ergo hora in latere Christus punctus aquam et sanguem effudit et reliquum temporis diei inluminans ad vesperam deduxit. Unde incipiens dormire principium alterius diei faciens imaginem resurrectionis complevit¹¹⁴ ». Secundum hunc textum Christus igitur prius transfixus est, deinde obdormivit.

Hanc interpretationem Sacrae Scripturae vehementer impugnavit Agobardus, episcopus Lugdunensis († 840), in libro suo « De Antiphonario »: « omnibus fidelibus certum est, quod Salvator noster non aliqua doloris violentia coactus, sed spontaneae pro nobis est mortuus, nec animam necessitate amisit, sed potestate posuit, sicut ipse ait: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso, ut iterum sumam eam*. Sed iste (sc. is qui responsorium composuit) et evangelici ordinis et fidei veritatis ignarus prius dixit, lancea militis latus Domini perforatum, et tunc ab eo spiritum emissum. Quod omnino paganum est, Christum non benignitate propriae voluntatis, sed vi doloris mortuum opinari, cum e contrario in Evangelio referatur, quod Dominus voce

lanaise et bénévontaine. Contribution à l'histoire d'une interpolation évangélique, in *Revue Grégorienne* 1934-1939. Idem, *Le Problème de la Transfixion du Christ*, Paris-Tournai 1940.

¹¹⁴ B. Botte, *La Tradition Apostolique de Saint Hippolyte*, Münster 1963, 92.

magna clamaverit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, et haec dicens exspiravit. Quam mortem Christi in tantum milites qui aderant admirati sunt, ut continuo Deum glorificasse, eumque Dei Filium confessi esse referantur, ac postea, Iudaeis petentibus, latronum crura, qui cum eo fuerant crucifixi, Pilatus frangi concesserit, Iesu autem iam mortui non crura confracta, sed milites lancea latus narretur apertum, non, ut iste imperite protulit, perforatum¹¹⁵ ».

Procul dubio, huius oppugnationis causa, incisum *Tunc unus ex militibus lancea latus eius perforavit ...* prius post verba *Et inclinato capite emisit spiritum* positum est, postremo omnino omissum.

In B et in Brev. Sarum (sicut et in illo Eboracensi a. 1493) verba *Tunc unus ex militibus ...* inveniuntur post verba *Et inclinato capite ...*, in H autem, sicut in pluribus Breviariis Fratrum Minorum s. XIII¹¹⁶, haec verba omnino ommissa sunt. Notandum insuper, in Ord. Exon., Brev. Sarisburiensi et Eboracensi, sicut et in Liturgia Dominicana, huic responsorio non additum fuisse versum *Et velum templi*, sed *¶. Cum ergo accepisset*, qui versus raro invenitur (CAO IV, n. 7760).

Memorare hic iuvat Clementem V, ad errores Petro Iohannis Olivio attributos quod attinet, « sacro approbante Concilio » (Viennensi) declarasse, « Apostolum et Evangelistam Ioannem rectum in praemissis factae rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo « iam mortuo unus militum lancea latus eius aperuit¹¹⁷ ».

38. Sabbato Sancto. — In M nulla habetur rubrica de antiphona B.V. post Completorium cantanda, neque in fine codicis inveniuntur antiphonae de B.V., ex quo tamen non est colligendum antiphonam de B.V. cantatam non fuisse. In B (f. 188^{ra}), in fine Completorii, legitur: « *Benedicamus Domino*¹¹⁸. Postea ant. *Salve* », in rubricis autem generalibus (f. 511^{va}) habetur: « Ad processionem post complect. (sic)¹¹⁹... dicatur a. *Salve regina* vel a. *Ave regina* », et pariter in fine codicis, ubi textus dantur cum melodiis (f. 516^{rb}): « Ad processionem post complect. (sic) Ant. *Salve regina ...* Alia Ant. *Ave regina ...* ». In H (Ord. n. 159), sabbato sancto, legitur rubrica: « Postea cantetur antiphona de beata

¹¹⁵ CCCM 52, 342-343; PL 104 (a. 1864), 332-333.

¹¹⁶ Bibl. Vat.: Regim. lat. 1738, 2050; Vat. lat. 8737, 12986, 12992; S. Maria Maggiore 41.

¹¹⁷ Denzinger-Schönmetzer, Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum, Herder 1963, 901 (480).

¹¹⁸ Nihil habetur de benedictione danda; cf. AFP L (1980) 18, h.

¹¹⁹ In B fere ubique loco « Completorium » legitur « Complectorium ».

Virgine », quae secundum idem Ordinarium (n. 481) est vel ant. *Salve regina* vel ant. *Ave regina*.

39. Die Paschae et per octavam.

a) In ritu Dominicano, sicut v.g. in ritu Sarum, Baiocensi, Laudun., Carm., Praem., ad Horas, Vesperas et Completorium, non autem ad Laudes, finita antiphona super psalmos, dicitur *R.* *Haec dies*. Ad Horas et Completorium dicitur « sine versu et sine neuma », ad Vesperas autem « cum versu et », secundum M (ff. 3^v-4^r) et B (f. 190^{rb}), « cum neuma » (id est cum integro neumate). Etiam in Missa hoc *R.* cantabatur cum integro neumate, ut patet e V (f. 73^r) et R (f. 112^v), ubi melodia terminatur sicut in Graduali Romano, et, quia tum ad Vesperas tum in Missa, cantabantur *R.* *Haec dies* cum versu, *Alleluia* cum versu et prosa *Victimae paschali*, quae omnia in Graduali inveniuntur, facile eveniebat etiam in Vesperis *R.* *Haec dies* cum integro neumate cantari. Pariter in Ecclesia Baiocensi *R.* *Haec dies* ad Horas cantabatur « sine suo versu et sine neumate in fine », ad Vesperas autem « cum neumate in fine » (BL VIII, 140). In H hoc neuma detruncatum apparet¹²⁰, sicut in M et B.

In ritu Sarum hoc *R.* ad Vesperas quidem « sine neupma » cantatur¹²¹, sed in Missa cum integro neumate¹²².

Notandum in codicibus manu scriptis ritus Cisterciensis *R.* *Haec dies* cum integro neumate haberi.

b) In Vesperis¹²³, finita antiphona super psalmos, cantatur *R.* *Haec dies* cum versu qui dicitur ad Missam, deinde *Alleluia*, pariter cum versu qui dicitur ad Missam, quo cantato repetitur *Alleluia*.

¹²⁰ Cf. AFP XLIX (1979) 13.

¹²¹ Cf. AFP L (1980) 12.

¹²² W. H. Frere, Graduale Sarisburiense, a reproduction in facsimile of a manuscript of the thirteenth century, London 1894, 117.

¹²³ In ritu Dominicano Vesperae paschales, usque ad sabbatum exclusive, hoc modo persolvebantur (usque ad a. 1603): dicta oratione dominica, sed omisso *Deus in adiutorium*, cantatur *Kyrie eleison*, sicut in Missa; sequuntur tres psalmi (109, 110, 111) sub sola antiphona *Angelus Domini*, *R.* *Haec dies* cum versu qui dicitur hac die ad Missam, *Alleluia* pariter cum versu ut in Missa, prosa *Victimae paschali*, ant. ad Magn. cum cantico *Magnificat*. — De his Vesperis cf. OR XXVII et XXXIII B (ed. Andrieu III, 362 et 475), OR L (*ib.* V, 308); Pont. Rom. Germ. (ed. Vogel-Else II, 116); Antiphonale Compendiense (ed. Hespert, CAO I, 180-200); DAER, lib. IV, cap. XXV, XXXIII; DAMR, lib. III, cap. XVI, n. 28; S. J. P. van Dijk, *The Medieval Easter Vespers of the Roman Clergy*, in *Sacris Erudiri*, XIX (1969-1970) 261-363.

Secundum autem V, P, R, in die Paschae¹²⁴, in Missa duo habentur versus alleluiaici: *Ψ. Pascha nostrum immolatus est Christus*, et *Ψ. Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis*, sicut v.g. apud Praemonstratenses¹²⁵. Inde in E (f. 13^v) in Vesperis Paschae hi duo versus inveniuntur, sicut etiam v.g. apud Praemonstratenses¹²⁶. In B non habetur nisi unus versus *Epulemur*, sicut in Brev. Sarum, Ord. Exon., Ord. Carm., Ord. Laud.

Secundum H, cum in Missa tum in Vesperis, solus versus *Pascha nostrum* cantatur (Ord. nn. 163 et 665). In M habetur quidem solus versus *Pascha*, sed super rasuram scriptus (f. 4^v); fortasse ibi antea scriptus erat versus *Epulemur*, sicut in B.

c) Post Vesperas, in ritu Dominicano, fit processio, dum cantatur antiphona *Christus resurgens* cum *Ψ. Dicite in nationibus* et oratione *Deus qui pro nobis*.

Haec processio fit, secundum M et B, post primum *Benedicamus Domino*¹²⁷, secundum H, dicta oratione Vesperarum *Deus qui hodierna die*.

Ut clarius appareant discrepantiae inter M, B et H, praesertim inter M et B ex una et H ex altera parte, respectivas rubricas trium horum codicum infra subicimus. H (Ord. n. 164) omnia usque ad singula accurate determinat, etiam ordinem in processione servandum, qui in M et B omittitur.

Modus quo in M describitur regressus in chorum post processionem, nostro iudicio, statum Liturgiae manifestat codici B paululum antecedentem.

M, f. 5^r

« *Benedicamus domino alla alla. Deo gratias alla alla.* Post primum *Benedicamus* fiat processio ubi commode fieri potest hoc modo. Cantor incipiat a. *X. resurgens* et conventus prosequatur eam egrediendo de choro ad aliquem locum secundum voluntatem prelati. Quo pervento sequitur *Ψ. Dicant nunc.* sicut superius¹²⁸ dic-

B, f. 190^v^b

« *Benedicamus domino alla alla.* Post primum *Benedicamus* fiat processio ubi comode fieri poterit. hoc modo. cantores incipiant ant. *Xps resurgens.* et conventus prosequatur eam egrediendo de choro ad aliquem locum secundum voluntatem prelati ».

¹²⁴ De aliis diebus in quibus duo cantabantur versus alleluiaici, cf. AFP XLIX (1979) 24-25.

¹²⁵ P I. F. L e f è v r e , La Liturgie de Prémontré, Louvain 1957, 148-149.

¹²⁶ Ord. Praem., 69.

¹²⁷ Cf. AFP L (1980) 18-20.

¹²⁸ Nihil « superius » dictum est. Fortasse in exemplari, quo usus est scriptor, haec rubrica sequebatur antiphonam *Christus resurgens*.

tum est et dicto Ψ . *Dicat* (sic) *in nationibus* et oratione *Deus qui pro nobis* etc. incipit cantor aliquam a. de beata virgine et intrant fratres chorum et dicitur Ψ . *Dignare me laudare*. Or. *Concede nos famulos*. et sic terminentur vespere. vel aliter secundum morem patrie fiat. Istud fiat per duos sequentes dies vel per plures pro more patrie ».

Xpistus resurgens ... Ψ .

f. 5^v

Dicant nunc iudei ...

« In hac die et in duobus sequentibus a duobus fratribus cantetur ¹²⁰. In aliis vero sine Ψ . cantetur. Ψ . *Dicite in nationibus alla*. R]. *Quia dominus regnavit a ligno alla*. Oratio. *Deus qui pro nobis filium tuum*. Post orationem dicitur *Benedicamus domino alla. deo gratias alla*. Et sic fiat cotidie per ebdomadam usque ad sabbatum ».

« Et sciendum quod omnia invit. et omnes antiphone et omnia R]R]. et officia et offerende et communiones ab hac die usque ad festum sancte trinitatis terminantur cum *alleluia* ».

Ant. *Christus resurgens ...*

f. 191^{ra}

... Ψ . *Dicant nunc ...*

« Iste versus in hac die et duobus sequentibus cantetur a duobus. In aliis vero per ebdomad. predicta ant. dicitur sine versu. Ψ . *Dicite in nationibus alla*. f. 191^{rb}] *Quia dominus*. Oratio. *Deus qui pro nobis ...*

Deinde incipiant cantores ant. *Ave regina*. et intrent fratres chorum. dicitur Ψ . *Dignare me*. oratio. *Concede nos. Benedicamus domino alla. Deo gratias alla*. et sic terminentur vespere ».

« Et sciendum quod omnia invitatoria et omnes ant. et omnia R]ia et versiculi et officia et offerende et communiones ab hac die usque ad festum sancte trinitatis debent terminari cum *alleluia* ».

Ord. n. 164: « Dicta oratione et responso *Amen*, cantores immediate incipiant antiphonam *Xps resurgens*. Et conventu eam prosequente egrediatur processio de choro in ecclesiam laicorum hoc ordine ... Finita antiphona duo fratres cantent Ψ . *Dicant nunc*, et resumptione finita post versum, qui dicunt versiculos dicant Ψ . *Dicite in nationibus*. Et Prior subiungat orationem *Deus qui pro nobis*, terminando eam *Per eundem Christum*. Et responso *Amen*, cantores incipiant antiphonam *Regina*

¹²⁰ Scilicet iste versus.

caeli, et fratres ipsam prosequendo revertantur in chorum eo ordine quo venerunt ... Finita vero antiphona qui dicunt versiculos dicant *Ÿ. Ora pro nobis sancta Dei genitrix*. Et Prior subiungat orationem *Gratiam tuam*, terminando eam *Per eundem Dominum nostrum* etc. Qua finita et subiuncto *Dominus vobiscum* dicatur *Benedicamus Domino* ab illis qui dicunt versiculos. Et hoc modo his tribus diebus Vesperae terminentur. Qui vero extra chorum sunt, omnia dicant quae a conventu cantantur ».

Ord. n. 165: « Et sciendum quod invitatoria et antiphonae et responsoria Horarum cum suis versiculis et omnes alii versiculi et officia et offerendae¹³⁰ et communiones usque ad festum sanctae Trinitatis exclusive, debent terminari cum *alleluia*, nisi in Officio mortuorum¹³¹ ».

In M duae partes rubricae inter se discrepare videntur. Secundum primam partem (f. 5^r) Vesperae terminantur per antiphonam de B.V. cum versiculo et oratione (omissa mentione de secundo *Benedicamus Domino*), secundum alteram autem partem (f. 5^v) videtur non cantari antiphona de B.V., sed post antiphonam *Christus resurgens* cum versiculo et oratione statim sequi *Benedicamus Domino alleluia*. Duae partes rubricae fortasse a diverso fronte originem ducunt.

Verisimile est initio in fine harum Vesperarum non fuisse cantatam antiphonam de B.V., quae profecto deest in E (f. 14^{ra}).

Generatim in reditu in chorum post hanc processionem (ad fontes) fiebat statio ante crucem, « hoc est ante crucifixum in ecclesiae navi suspensum¹³² » (Ord. Laud., Ord. Praem.). Secundum Ord. Praem.

¹³⁰ De voce « offerenda » pro « offertorium » cf. M. A n d r i e u, Les Ordines Romani, III, 75 et 123, n. 144. Haec vox in hoc solo loco occurrit in Ordinario OP (et in M et B). Pariter in Ordinario Haymonis de Faversham non invenitur nisi in loco in nota sequenti indicato (v a n D i j k, Sources II, X). In Ord. Carm. in hoc loco (149) invenitur et in Communi unius virginis sive martyris sive non (244: Offerenda maior et Offerenda minor).

¹³¹ Tres habentur versiones, ut patet, huius rubricae: M, B, H. Ord. Carm. (p. 149) praebet versionem quae legitur in H, nisi quod deest vox « exclusive ». Versio autem quae invenitur in Ord. Exon. similis est illi codicis M, nisi quod addita sunt verba « nisi pro defunctis »: « Sciendum est etiam quod omnia Invitatoria et omnes Antiphonae et omnia Responsoria et Officia, Offerende, et Communiones, nisi pro mortuis, ab hac die usque ad festum sce Trinitatis, debent terminari cum *Alleluia* » (HBS 37, 143). In Ordine Missalis Haymonis de Faversham, post rubricam de festo S. Benedicti abbatis et confessoris, legitur tantum: « Notandum quod ... in fine cuiuslibet introitus, offerende et communionis adiungitur *Alleluia*. Et hoc observatur in omnibus festis, que celebrantur inter pasca et pentecosten » (v a n D i j k, Sources II, 279).

¹³² E. M a r t è n e, DAER, lib. IV, cap. XXV, XXXV.

(p. 69) in reditu in chorum cantabatur antiphona *Christus resurgens*. Secundum Ord. Exon. (143) in introitu chori cantabatur ant. *Regina caeli* cum Ψ . *Post partum* vel *Sancta Dei genitrix* et oratione *Gratiam tuam*, secundum autem Brev. Sarum ant. *Alma Redemptoris*, addito *alleluia*, cum Ψ . *Sancta Dei genitrix* et oratione *Gratiam tuam*¹³³.

40. De Matutino diebus infra octavam Paschae.

a) Secundum B, super tres psalmos seu «super nocturnum» dicitur sola antiphona *Resurrexit Dominus alleluia sicut dixit vobis alleluia* (quae antiphona dicenda est etiam in dominicis post octavam Paschae, usque ad Ascensionem¹³⁴), et post psalmos «isti duo versiculi alternatim dicantur», sc. Ψ . *Surrexit Dominus vere alleluia*. \mathcal{R} . *Et apparuit Simoni alleluia*, et Ψ . *Surrexit Dominus de sepulcro alleluia*. \mathcal{R} . *Qui pro nobis pependit in ligno alleluia*.

In die autem Paschae et in die octava (in quibus super tres psalmos tres antiphonae propriae dicuntur) habetur Ψ . *Resurrexit Dominus, alleluia*. \mathcal{R} . *Sicut dixit vobis, alleluia*, et per hebdomadas post octavam Paschae (per quas super tres psalmos dicitur sola antiphona *Alleluia*) dicuntur iidem tres versiculi, secundum ordinem feriarum (f. 199^{vb} ss.), qui in H: Ψ . *Resurrexit Dominus*. Ψ . *Surrexit Dominus vere*. Ψ . *Surrexit Dominus de sepulcro*.

Videtur in B, diebus infra octavam Paschae, Ψ . *Resurrexit Dominus* omissus fuisse, ne feriis 2 et 5 antiphona super psalmos et versiculus subsequens iisdem constaret verbis. Ob eandem rationem, dominicis post octavam Paschae, in quibus dicitur ant. *Resurrexit Dominus*, non dicitur, sicut in die Paschae eiusque die octava, Ψ . *Resurrexit Dominus*, sed Ψ . *Surrexit Dominus vere* (f. 203^{rb}).

Ad haec incommoda tollenda, diebus infra octavam et dominicis post octavam Paschae, H aliam ponit antiphonam super psalmos: *Surrexit Christus et illuxit populo suo, quem redemit sanguine suo alleluia*, (Ord.

¹³³ Secundum Ordinem Ecclesiae Senensis (a. 1213) in introitu chori cantatur ant. *Regina caeli* cum Ψ . *Benedicta tu in mulieribus* et oratione *Deus qui salutis aeternae* (p. 186); secundum Ordinem Ecclesiae Lateranensis (cf. n. 16) cantatur, in die octava, ant. *Regina caeli* cum Ψ . *Benedicta tu* et oratione *Deus qui per Unigeniti tui resurrectionem* (p. 92).

¹³⁴ Dominica I post octavam Paschae, haec antiphona partim expuncta est (f. 203^{rb}). In M, feria II post Pascha, super rasuram scripta est ant. *Surrexit Christus* (f. 6^r), ut in H, sed dominica I post octavam Paschae habetur ant. *Resurrexit Dominus* (f. 18^v), ut in B. In M indicantur tamen per octavam tres versiculi ut in H (ff. 6^r, 8^r, 9^v).

nn. 167, 184), et tali modo tres versiculi, e quibus componuntur (etiam in M et B) R̄R̄. Horarum, secundum ordinem feriarum dici possunt (Ord. nn. 160, 168, 169).

Secundum Ord. Exon. et Brev. Sarum, diebus infra octavam Paschae et dominicis post octavam Paschae, dicitur super psalmos nocturni ant. *Resurrexit Dominus*, sicut in M et B, sed per totam hebdomadam sequitur Ψ. *Surrexit Dominus vere. R̄. Et apparuit.*

b) Responsoria Matutini. — Quoniam in die Paschae et per totam octavam tres tantum dicuntur lectiones cum totidem R̄R̄., addita sunt, ne quolibet die R̄R̄. dominicae Paschae repetenda essent, R̄R̄. pro diebus infra octavam. Non autem omnia haec R̄R̄. eadem sunt in M et B ex una, et H ex altera parte.

R̄. primum feriae III (*Virtute magna. Ψ. Repleti*), R̄. secundum feriae IV (*Isti sunt agni novelli. Ψ. In conspectu*) in B, et R̄. primum feriae V (*De ore prudentis. Ψ. Sapientia*) in M (f. 11^r) et B, differunt ab illis quae habentur in H (Ord. nn. 168, 169, 170). Haec tria R̄R̄., in H ex octava Paschae ablata, habentur nihilominus in H, sicut in M et B, in Communi Apostolorum T.P. (*Virtute magna et Isti sunt agni novelli*) et in Communi unius Martyris et unius Confessoris T.P. (*De ore prudentis*). Reapse haec R̄R̄. potius ad festum alicuius Sancti T.P. quam ad mysterium Resurrectionis spectant¹³⁵, quamobrem in Liturgia ab Humberto recognita ab octava Paschae amota esse videntur.

In M habentur feriis III et IV eadem quidem R̄R̄. atque in H, sed R̄. primum feriae III et R̄. secundum feriae IV clare super rasuram scripta apparent (ff. 8^{r-v} et 10^r).

Praeterea R̄. primum feriae V (*De ore prudentis*) in M et B non est idem ac R̄. primum feriae II (*Maria Magdalena*), qua de re historia octavae in M et B decem constat responsoriis, cum secundum normam generalem in H adhibitam R̄R̄. feriae V eadem sint oportet ac illa feriae II.

41. Feria II infra octavam Paschae.

a) In M (f. 7^r) et B (f. 192^{vb}) haec invenitur antiphona ad Ben.: *Qui sunt hi sermones quos confertis (B: confers) ad invicem ambulantes, et estis tristes? alleluia. Respondens unus cui nomen Cleophas dixit ei: tu solus peregrinus es in Ierusalem et non cognovisti quae facta sunt in illa*

¹³⁵ J. Pascher, Die Responsorien der Matutin in der Osterwoche, in B. Fischer und J. Wagner, Paschatis Sollemnia, Basel Freiburg Wien 1959, 188-196.

his diebus? alleluia. Quibus ille dixit: Quae? et dixerunt: de Iesu Nazareno qui fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo alleluia (CAO III, n. 4500). Haec eadem antiphona dicitur secundum Brev. Sarum.

In H habetur versio brevior huius antiphonae: *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Alleluia, alleluia* (ib. n. 4499).

b) M (f. 7^v), praeter antiphonam *Qui sunt hi sermones*, ut supra, alteram praebet antiphonam ad Ben.: *Iesus iunxit se discipulis suis in via et ibat cum illis: oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent; et increpabat eos dicens: o stulti et tardi corde ad credendum in his quae locuti sunt prophetae alleluia* (ib. n. 3491). In hoc M discrepat a B et H.

c) In E (f. 14^{rb}) et B, sicut in Ord. Exon. et Brev. Sarum, habetur ad Magn. ant. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu dum loqueretur nobis in via? alleluia* (ib. n. 3943). Cum autem in Vesperis cantetur *Alleluia* cum versu qui hac die dicitur ad Missam, id est Ψ . *Nonne cor nostrum*, in H (Ord. n. 167), ne bis idem textus, alter post alterum, cantaretur, pro antiphona *Nonne cor nostrum* congruenter alia antiphona substituta est, sc. *Nonne sic oportuit* (ib. n. 3950).

In M (f. 8^r) habetur quidem ant. *Nonne sic oportuit*, sed super rasuram scripta apparet.

42. Sabbato infra octavam Paschae.

a) Ad Ben., praeter antiphonam *Currebant duo* (ut in B et H), in M duae aliae habebantur antiphonae¹³⁶, quae tamen expunctae sunt¹³⁷.

b) Ad Horas, secundum B et H, hac die, finita antiphona super psalmos, loco \mathcal{R} . *Haec dies* (cf. supra, n. 39a) dicitur *Alleluia*. Ψ . *Haec dies* (Ord. n. 172)¹³⁸. Nihil legitur de hoc in E (f. 14^{vb})¹³⁹. In M invenitur quidem *Alleluia*. Ψ . *Haec dies* (f. 12^v), non autem prima manu scriptum, sed super rasuram, ubi scriptae erant duae antiphonae alternativae ad Ben. (cf. supra, a). Adde huc quod rubricae in M contrarium supponunt. Die enim Paschae, ad Primam, post \mathcal{R} . *Haec dies* legitur: « Et dicatur cotidie per ebdomadam ad omnes horas preterquam ad mat. » (f. 4^r), et feria II post Pascha habetur rubrica: « Hac die et sequen-

¹³⁶ Cf. CAO I, 81a.

¹³⁷ Bis adhuc cerni potest abbreviatio: « Bnd. euouae » (f. 12^v, lin. 8 et 10).

¹³⁸ Idem in Ord. Praem. (71) et in Ord. Exon. (HBS 37, 147).

¹³⁹ Pariter secundum Ord. Carm. (149, 151) et Ord. Laudun. (BL VI, 120, 127) sabbato dicitur \mathcal{R} . *Haec dies*, sicut diebus praecedentibus.

tibus diebus per ebdomadam. III.VI. et .IX. dicantur sicut in die pasce cum oratione de die usque ad octavam pasce » (f. 7^v). In his igitur rubricis sabbatum non excipitur, immo dicitur: « usque ad octavam pasce », id est, usque ad dominicam in octava Paschae.

In B (f. 190^{rb}) sic sonat rubrica diei Paschae: « Et sic dicatur cotidie ad omnes horas per ebdomad. usque ad sabbatum » (Ord. n. 162 addit: « exclusive »).

43. Hymni tempore paschali. – In C non invenitur hymnus proprius ad Completorium dicendus. Hymnus autem *Iesu nostra redemptio* (AH LI, 95, n. 89), qui, secundum E, M, B, H, tempore paschali ad Completorium cantatur, in C inscribitur « In ascensione domini » (f. 131^v), sine indicatione qua hora cantandus sit. Alia ex parte habentur in C, pro tempore resurrectionis, ad Matutinum, ut videtur, hymnus *Rex aeternae, Domine* (AH LI, 5, n. 2), in Laudibus totus¹⁴⁰ hymnus *Aurora lucis*, cuius hymni prior pars, secundum E, M, B, H, ad Matutinum, altera autem pars (incipiendo a strophā *Sermone blando*) in Laudibus cantatur.

44. Dominica in octava Paschae.

a) Ad Vesperas, in E (f. 14^{vb}) datur *Ψ. Mane nobiscum, Domine, alleluia. R̄. Quoniam advesperascit et inclinata est iam dies, alleluia.* Eodem modo dicitur hic versiculus secundum Breviarium Sarum et illud Ordinis Carmelitarum. In M, B, H autem legitur: *R̄. Mane nobiscum Domine, alleluia. R̄. Quoniam advesperascit, alleluia.*

b) In II Vesperis, in E (f. 15^{rb}) habetur super psalmos ant. *Angelus autem*, ut in die Paschae, in M, B, H autem ant. *Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.*

45. Per hebdomadam post octavam Paschae. – In E, M, B tres habentur antiphonae dicendae ad Ben. et ad Magn.: *Mitte manum, Multa quidem, Haec autem.* In H autem, sicut per octavas et hebdomadas Septuagesimae (cf. supra, nn. 13 et 24), duae tantum antiphonae retentae sunt: ad Ben. ant. *Multa quidem* et ad Magn. ant. *Haec autem* (Ord. n. 176).

46. Per hebdomadam post dominicam I post. oct. Paschae. – In E, M, B quattuor habentur antiphonae dicendae ad Ben. et ad Magn.:

¹⁴⁰ In margine (f. 131^r), iuxta stropham « Sermone blando » legitur « divisio », sed haec vox tempore posteriore scripta esse videtur.

Pastor bonus, Sicut novit me Pater, Mercenarius, Alias oves, in H (Ord. n. 184) duae tantum: ad Ben. ant. *Pastor bonus*, ad Magn. ant. *Alias oves* (cf. supra n. 45). Eaedem quattuor antiphonae quae in E, M, B, inveniuntur in Ord. Exon. et Brev. Sarum.

47. Per hebdomadam post dominicam II post oct. Paschae. — In E, M, B tres inveniuntur antiphonae dicendae ad Ben. et ad Magn.: *Quid est hoc, Amen amen dico vobis, Tristitia*, in H (Ord. n. 185) duae tantum: ad Ben. ant. *Amen amen*, ad Magn. ant. *Tristitia* (cf. n. 45).

48. Per hebdomadam post dominicam III post oct. Paschae. — In E, M, B, sicut in Ord. Exon. et Brev. Sarum, iterum tres habentur antiphonae dicendae ad Ben. et ad Magn.: *Adhuc multa, Cum autem venerit, Ille me*, in H (Ord. n. 186) duae tantum: ad Ben. ant. *Adhuc multa*, ad Magn. ant. *Ille me* (cf. n. 45).

49. In Rogationibus. — Feria II, ad Ben. et ad Magn., in E, M, B, H eadem dicuntur antiphonae ex Evangelio diei (*Lc* 11, 5-13) desumptae: ad Ben. ant. *Petite*, ad Magn. ant. *Omnis qui petit*. Feria III vero, in qua ad Missam idem legitur Evangelium quod feria II, secundum E, M, B dicuntur ad Ben. et ad Magn. antiphonae ex Evangelio dominicae praecedentis (*Io* 16, 23-30) desumptae: ad Ben. ant. *Exivi a Patre*, ad Magn. *Ecce nunc palam*. Secundum H autem repetuntur antiphonae feriae II quae respondent Evangelio diei seu Rogationum (Ord. n. 188).

50. In vigilia Ascensionis. — Ad Horas, secundum M, dicitur, sicut duobus diebus praecedentibus (cf. Ord. n. 188), id est, diebus Rogationum, oratio dominicalis (f. 24^r), secundum B et H (Ord. nn. 189 et 6) autem oratio propria vigiliae. In E (f. 16^{ra}) deest quaelibet rubrica.

51. In Ascensione Domini.

a) Ad I Vesperas, in E, super psalmos invenitur ant. *Pater iuste mundus te non cognovit, ego autem novi te, et hi cognoverunt quia tu me misisti, et notum feci eis nomen tuum alleluia* (CAO III, n. 4235), in B autem legitur huius antiphonae recensio brevior: *Pater iuste mundus te non cognovit, ego autem cognovi te, quia tu me misisti alleluia* (ib. n. 4234). In M invenitur quidem ant. *Ascendens Christus*, sicut in H, sed super raturam scripta (f. 24^r), et accedit quod in I Vesperis diei octavae Ascensionis indicatur super psalmos ant. *Pater iuste* (f. 31^r), sicut in B. Ex spatio rasurae, super quam scripta est ant. *Ascendens Christus* (f. 24^r), coniciendum est antiphonae recensionem brevioribus ibi antea scriptam fuisse.

b) Ad Matutinum, in M, post tertium R̄. *Viri Galilaei* additur rubrica (f. 26r): « vel al. R̄. *Ite in orbem* » (CAO IV, n. 7028). Haec rubrica deest in B, sed ipsum responsorium in hoc codice invenitur feria II post Pentecosten. In M, hac feria, habetur quidem, huius responsorii loco, R̄. *Ultimo festivitatis die*, sed super rasuram scriptum (cf. infra, n. 59).

c) Ut dispositio versiculorum concordet cum normis generalibus (cf. supra, n. 8e), loco Ψ. *Ascendens Christus in altum*, qui invenitur in B in Laudibus, et loco Ψ. *Ascendo ad Patrem*, qui habetur in E et B post R̄. breve ad Nonam, secundum H in utroque loco dicitur Ψ. *A summo caelo* (Ord. n. 191). M concordat cum H, sed Ψ. *A summo caelo* in utroque casu scriptus est super rasuram.

d) In H haec habentur Capitula (Ord. nn. 190-191): ad Vesp., Laud. et Tertiam: *Primum quidem sermonem* (Act. 1, 1-2), ad Sextam: *Et convalescens* (ib. 1, 4), ad Nonam: *Viri Galilaei* (ib. 1, 11). Haec eadem Capitula inveniuntur in Ordinario Innocentii III et in Ordine Breviarii Haymonis de Faversham.

Secundum E, M, B, et similiter secundum Ord. Exon. et Brev. Sarum, ad Nonam dicitur Capitulum *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies* (Act. 1, 5), pro quo, fortasse utpote magis ad argumentum festi spectans, in H substitutum est Capitulum *Viri Galilaei*.

52. Infra octavam Ascensionis.

a) Secundum H. infra octavas, sive de Tempore sive de Sanctis, qualibet die, quando de octava agitur, exceptis die dominica et die octava, una dicitur antiphona super psalmos (novem vel T.P. tres) unius Nocturni (Ord. n. 296), quod etiam servatur infra octavam Ascensionis (ib. nn. 192-195). In M et B autem, infra hanc octavam tres dicuntur antiphonae in Nocturno: feria VI, *Exaltare, Domine; Exaltabor te, Domine; Ascendit Deus*; sabbato, *Nimis exaltatus es*¹⁴¹; *Dominus in Sion; Dominus in caelo*. Hac ratione, secundum M et B, infra octavam, omnes dicuntur antiphonae, quae secundum Breviarium Romanum dicuntur in festo Ascensionis. Idem fit secundum Ord. Exon., Brev. Sarum et Heref.

b) Secundum M et B, post psalmos Nocturni seu « super nocturnum » duo versiculi alternatim dicuntur, sicut infra octavam Paschae

¹⁴¹ In M (f. 28v) legitur *Nimis exaltatus est* (ps. 96, 9); cf. CAO III, n. 3879.

(cf. supra, n. 40a) usque ad Pentecosten: Ψ . *Elevata est* et Ψ . *Ascendit Deus*; secundum H tres dicuntur versiculi, secundum ordinem feriarum: Ψ . *Elevata est*, Ψ . *Ascendit Deus*, Ψ . *Ascendens Christus* (Ord. nn. 191-198).

c) Secundum B (cui concordat E quantum ad ant. ad Magn.) ad Ben. et ad Magn. haec dicuntur antiphonae (praeterquam die dominica et die octava): *Euntes* (feria VI ad Ben.), *Rogabo* (feria VI ad Magn.), *Nisi ego abiero* (sabbato ad Ben.), *Illi autem profecti* (feria II ad Ben.), quibus exhaustis reincipitur ab antiphona *Euntes*. Eaedem antiphonae et quidem eodem ordine dicuntur secundum Ord. Exon., Brev. Sarum et Heref.

In H (Ord. n. 193), ut mos est (cf. supra, n. 45), duae tantum antiphonae retentae sunt: ad Ben. ant. *Rogabo* et ad Magn. *Euntes* (etiam sabbato). In M nonnullae antiphonae expunctae sunt, sed e rubricis (cf. infra, n. 54) patet quod infra octavam eadem antiphonae dicebantur quae in B.

53. Dominica infra octavam Ascensionis.

a) In I Vesperis, in E et B, ad Magn. dicitur ant. propria *Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis ascendit in caelum et sedet a dextris Dei alleluia* (CAO III, n. 2419); in H ant. de oct. *Euntes* (cf. supra, n. 52c). Similiter secundum Ord. Exon., Brev. Sarum et Heref. dicitur ant. *Dominus quidem*. In M totae I Vesperae expunctae sunt.

b) Ad Matutinum, in H repetuntur, secundum normam generalem (Ord. n. 296), $\mathcal{R}\mathcal{R}$. festi; in B autem haec inveniuntur $\mathcal{R}\mathcal{R}$. *Tempus est* (CAO IV, n. 7758), *Ego rogabo Patrem* (ib. n. 6631), *Viri Galilaei* (= \mathcal{R} . tertium festi). In Ord. Exon. et Brev. Sarum eadem tria $\mathcal{R}\mathcal{R}$. inveniuntur. In M, f. 30^r erasum est et noviter scriptum, sed f. 30^v adhuc videntur ultima pars \mathcal{R} . *Ego rogabo Patrem* et initium \mathcal{R} . *Viri Galilaei*.

c) Secundum B (f. 218^r), hac die fit officium de octava, cum antiphonis propriis ad Ben. *Cum venerit* et ad Magn. *Haec locutus sum* et cum oratione dominicali ad Laudes et II Vesperas, sine memoria dominicae; secundum H autem fit officium de octava cum memoria dominicae in Laudibus et II Vesperis (Ord. n. 297), adhibitis ad memoriam dominicae iisdem antiphonis et oratione ac supra in B (ib. n. 195). In M non paucae habentur rasurae in hoc officio (ff. 29^v-30^r).

Similis discrepantia inter B et H habetur in ordinando officio dominicarum infra octavas Nativitatis et Epiphaniae (Ord. nn. 49 et 63).

54. Feriis II, III, IV post dominicam infra octavam Ascensionis. — In M, in folio 31^r, in quo plures factae sunt rasurae et mutationes, haec servata est pars rubricae: « Require in precedenti feria. vi. Feria. iii. ant. psalmi et R̄ia sicut in precedenti sabbato. Ad benedictus ant. *Rogabo patrem meum*. Require in precedenti feria .vi. ad magn. ant. *Nisi ego abiero*. Require in precedenti sabbato. Feria .iiii. ant. psalmi. R̄ia sicut in precedenti feria .vi. ad benedictus ant. *Illi autem profecti*. Require in precedenti feria .ii. ». Initium huius rubricae hoc modo supplementum esse videtur: « Feria .ii. ant. psalmi et R̄ia sicut in precedenti feria .vi. ad benedictus ant. *Illi autem*. ad magn. ant. *Euntes*. Require in precedenti feria .vi. ... ».

In Ord. Exon. (HBS 37, 164-165) et Brev. Sarum et Heref. plane eadem rubricae cum iisdem antiphonis habentur. Patet igitur feriis II, III, IV antiphonas, psalmos et R̄R̄. non secundum ordinem feriarum dicta fuisse seu sicut in praecedentibus feriis V (Ascensione) et VI et sabbato, at alternatim de praecedentibus feria VI et sabbato. Et fortasse propter hanc rationem id fiebat, ne dominica et feria II insequenti iisdem psalmi eademque antiphonae dicerentur¹⁴². Quid simile invenitur in Ordinario Laudunensi pro his diebus (BL VI, 148). In B autem antiphonae, psalmi et R̄R̄. his tribus diebus dicuntur secundum ordinem feriarum seu ut in festo Ascensionis et praecedentibus feria VI et sabbato.

55. In die octava Ascensionis. — In I Vesperis, secundum E (f. 16^{vb}), M (f. 31^r), B, super psalmos dicitur ant. *Pater iuste*, sicut in ipso festo (cf. supra, n. 51a), secundum H autem ant. *Viri Galilaei*, id est prima antiphona Laudum festi (Ord. nn. 196, 296).

56. Vigilia Pentecostes. — In B haec sunt tria R̄R̄. Matutini: R̄. *Si enim non abiero* (R̄. primum feriae VI praecedentis), R̄. *Non conturbetur* (R̄. tertium sabbati praecedentis), R̄. *Ego rogabo* (R̄. secundum dominicae praecedentis). Fortasse haec tria R̄R̄. pro vigilia Pentecostes selecta sunt quia loquuntur de adventu Spiritus Sancti. Haec eadem R̄R̄. praebentur in Ord. Exon. et Brev. Sarum, sed non eodem ordine. In H repetuntur R̄R̄. de sabbato praecedenti (Ord. n. 198). In M omnia de vigilia Pentecostes usque ad antiphonam ad Ben. expuncta sunt (f. 31^r).

¹⁴² Haec ratio non valet pro R̄R̄., quia, secundum M et B, alia R̄R̄. dicuntur in festo Ascensionis alia dominica infra octavam.

57. In die Pentecostes.

a) In I Vesperis, sub sola antiphona *Veni, Sancte Spiritus* (CAO III, n. 5327), secundum E (f. 16^{vb})¹⁴³, M (f. 31^v), B (f. 219^{va}) quinque psalmi *Laudate*, secundum H (Ord. n. 199) ultimi tres (ps. 145, 146, 147) tantum dicuntur. Secundum Exon. et Sarum dicitur quidem sola antiphona *Veni, Sancte Spiritus*, sed super quinque psalmos de sabbato.

b) Versiculus in Vesperis. — Secundum E, in I Vesperis dicitur *Ψ. Spiritus Domini replevit* (f. 17^{ra}), in II Vesperis *Ψ. Repleti sunt* (f. 17^{va}). Secundum Exon., Sarum, Carm., in utrisque Vesperis habetur *Ψ. Spiritus Domini replevit*, secundum M, B, H, in utrisque Vesperis *Ψ. Repleti sunt*.

c) *R.* 1. *Dum complerentur* in B sic sonat: *R.* *Dum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter dicentes alleluia et subito factus est sonus de caelo alleluia; tamquam spiritus torrens replevit totam domum alleluia alleluia. Ψ. Dum ergo* (CAO IV, n. 6536). Eandem versionem responsorii, cum eodem *Ψ. Dum ergo*, praebet Brev. Sarum. In H loco « tamquam spiritus torrens » legitur « tamquam spiritus vehemens », magis secundum textum Vulgatae (Acta 2, 2): « sonus tamquam advenientis spiritus vehementis ». In M quoque legitur « vehemens », sed haec vox super rasuram scripta est.

d) Capitula in E haec sunt: ad Vesp., Laud., Tertiam: *Factus est repente* (Acta 2, 2); ad Sextam: *Apparuerunt apostolis* (ib. 2, 3); ad Nonam: *Dum complerentur* (ib. 2, 1). In M, B, H, prima duo Capitula ut supra; ad Nonam: *Facta autem hac voce* (ib. 2, 6). In M, B, H observatur igitur in Capitulis ordo rerum sicut describitur in Actis Apostolorum.

e) Ut dispositio versiculorum concordet cum normis generalibus (cf. supra, nn. 8e, 51c), loco *Ψ. Loquebantur variis*, qui invenitur in B in Laudibus, et loco *Ψ. Emitte spiritum*, qui habetur in E et B post *R.* breve ad Nonam, secundum H in utroque loco dicitur *Ψ. Spiritus Paraclitus* (Ord. nn. 200, 201). M concordat cum H, sed verba rursus supra rasuram scripta sunt.

58. Infra octavam Pentecostes, secundum M et B, in Nocturno duo versiculi dicuntur alternatim: *Ψ. Repleti sunt* et *Ψ. Spiritus Domini replevit*; secundum H tres dicuntur versiculi, secundum ordinem feriarum: *Ψ. Repleti sunt*, *Ψ. Loquebantur*, *Ψ. Spiritus Domini* (cf. supra, nn. 40a, 52b).

¹⁴³ F. 16^{ra}: « Sprich alle Laudate » (Ascensio), f. 16^{vb}: « Alle Laudate » (Pentec.), f. 17^{vb}: « Lis alle Laudate » (Trinit.).

59. Feria II infra octavam Pentecostes. — In B habetur R̄. 3. *Ite in orbem universum. Ψ. Signa autem eos* (CAO IV, n. 7028), in H autem R̄. 3. *Ultimo festivitatis die. Ψ. Hoc autem dixit* (ib. n. 7805), fortasse utpote magis octavae appropriatum. In M pariter invenitur R̄. 3. *Ultimo festivitatis die*, super rasuram¹⁴⁴ scriptum (f. 35^v), at in die Ascensionis (cf. supra, n. 51b), tamquam R̄. 3. ad libitum ponitur R̄. *Ite in orbem*, cuius initium tantum ibi datur (f. 26^r). Integrum R̄. *Ite in orbem* hic (M, f. 35^v) antea scriptum fuisse verisimile est.

60. Feria IV infra octavam Pentecostes. — In B, R̄. 3. sic sonat: R̄. *Spiritus sanctus replevit totam domum ubi erant apostoli, et apparuerunt illis dispersitae linguae tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto et ceperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis alleluia alleluia alleluia. Ψ. Dum essent. Et repleti. Gloria. Alleluia* (CAO IV, n. 7694). In H, nescio qua ratione, ommissa sunt verba: *et ceperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. In M (f. 38^r) haec verba expuncta sunt.

61. In festo SS. Trinitatis¹⁴⁵.

a) In I Vesperis, in E, C, M, B, habentur quinque antiphonae super quinque psalmos *Laudate*, quae in H inveniuntur in *Laudibus* (Ord. n. 204). Eaedem antiphonae dicebantur fere ubique in I Vesperis, ubi festum SS. Trinitatis celebrabatur, v.g. in Ecclesiis Sarisbur., Exon., Laudun., apud Praem., Carm. In H dicitur una antiphona super quinque psalmos: *O beata et benedicta* (quae est prima antiphona *Laudum* in E, C, M, B). Secundum enim normam generalem, quam H constanter sequitur, in I Vesperis festi semiduplicis et supra una tantum dicitur antiphona super psalmos (Ord. nn. 274, 276, 289). Propter eandem rationem, e quinque antiphonis, quae in E et L habentur in I Vesperis festi S. Augustini, in M, B, H prima tantum retenta est, ut postea videbimus. Ab hac norma excipitur festum Nativitatis Domini et festa quae sequuntur usque ad Epiphaniam Domini inclusive (Ord. n. 286).

b) Hymnus *Adesto, sancta Trinitas* (AH LI, 102, n. 96), in C et M ita dividitur ut ad Matutinum dicantur prima et secunda strophae cum doxologia, ad Laudes tertia (*Adsumus*) et quarta strophae cum doxologia (C, ff. 62^v, 70^r; M, f. 40^v). Idem factum fuisse videtur in B,

¹⁴⁴ F. 35^v, lin. 8, adhuc videntur verba « in nomi[ne] » e R̄. *Ite*.

¹⁴⁵ In primis igitur documentis Liturgiae Dominicae quae ad nos pervenerunt iam invenitur festum Trinitatis, et quidem dominica post Pentecosten.

quia in Laudibus legitur rubrica: « Hymnus *Assumus* » (f. 233^{ra}) et in parte codicis, quæ Hymnarium dici potest, solus hymnus *Adesto sancta Trinitas* invenitur (f. 294^{rb}). In H ad Vesperas et ad Matutinum totus dicitur hymnus *Adesto, sancta Trinitas*, ad Laudes autem hymnus *O Trinitas laudabilis* ¹⁴⁶.

c) Singulis responsoriis Matutini, in C, M, B, *Gloria Patri* apponitur, in H autem, de more, solis responsoriis tertio, sexto et nono. Secundum rubricas, quæ in M (f. 51^v) et B (f. 237^{vb}) dominica I post Trinitatem leguntur, omnibus dominicis diebus quæ sequuntur usque ad Adventum nonum responsorium de Trinitate cantandum est, non semper idem, sed unum post alterum sicut posita sunt in historia de Trinitate (cf. infra, n. 64). Cuilibet responsorio propter hanc rationem *Gloria Patri* additum fuisse credi potest. Ita in Ord. Exon. (HBS 37, 172) post primum responsorium huius festi hæc habetur rubrica: « Hunc versum (sc. responsorii) non sequatur *Gloria patri* quod ponitur in quolibet responsorio ad has Matutinas, sed dicatur in sequentibus dominicis per estatem cum. ix. fuerint. Quod etiam observetur in ceteris responsoriis sequentibus, preterquam in tertio, sexto et nono responsorio ». At contra alibi vigeat usus in fine omnium responsoriorum huius festi *Gloria Patri* addendi, ut in Ecclesia Laudunensi (BL VI, 160, nota) et in Ecclesia Baiocensi: « post unumquodque R̄. dicitur *Gloria Patri*, et resumuntur a capite III, VI et IX » (BL VIII, 170 et 7). In M et B autem desideratur quaelibet rubrica circa hanc rem.

d) In tertio Nocturno, secundum C (f. 67^v) legitur evangelium *Cum venerit Paraclitus* (Io 15, 26-16,4) ut in dominica post Ascensionem Domini ad quam reicitur (« Quere in dominica post ascensionem domini »). Idem evangelium legitur secundum Ord. Baiocense: « Tres ultime lectiones de expositione evangelii dominice infra octabas Ascensionis, scilicet *Cum venerit Paraclitus* » (BL VIII, 170-171). Alibi hoc evangelium legitur infra octavam Trinitatis (Ord. Laudun., Carm.). In M (f. 43^r) huic festo assignatur evangelium *Erat homo ex pharisæis Nicodemus nomine* (Io 3, 1-15), quod antiquitus legebatur in octava Pentecostes ¹⁴⁷ et plerumque in festo Trinitatis invenitur. Secundum B et HLect. in tertio Nocturno non legitur evangelium cum sua expositione,

¹⁴⁶ F. J. M o n e, Hymni Latini medii ævi I, Friburgi Brisgoviae 1853, 4, n. 2. — U. C h e v a l i e r, Poésie liturgique, Tournai 1894, 91, n. 119.

¹⁴⁷ T h. K l a u s e r, Das römische Capitulare Evangeliorum, Münster 1935, 75, n. 151.

sed ad Matutinum leguntur novem lectiones de Sermone S. Augustini¹⁴⁸. Conveniunt tamen cum M, quoad evangelium Missae, P, R, HEvang. (Ord. n. 693).

e) Post R̄. 9. *Summae Trinitati*, C (ff. 68^v-69^r) et M (f. 44^{r-v}) aliud addunt R̄. *Te Deum Patrem*. Ψ. *Quoniam magnus. Tibi gloria. Gloria Patri. In saecula* (CAO IV, n. 7755). Suppresso in B et H R̄. *Te Deum Patrem*, historia de Trinitate novem responsorii constat (cf. supra, n. 33a et 40b).

f) Ante Laudes, in C, etiam infra octavam, dicitur Ψ. *Benedictus es Domine in firmamento caeli* (ff. 69^r et 71^{r-v}), qui habetur quoque in Brev. Sarum, Exon., Hereford. In M, B, H dicitur Ψ. *Magnus Dominus et laudabilis nimis*.

g) In Laudibus, secundum E (antiphonae ad Horas), C, M¹⁴⁹, B, hae dicuntur antiphonae cum versibus¹⁵⁰, alibi quoque usurpatae¹⁵¹:

1. *O beata et benedicta et gloriosa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Ψ. *Tibi laus tibi gloria tibi gratiarum actio* (CAO III, n. 3992).

2. *O beata benedicta gloriosa Unitas*¹⁵², *Pater Filius Spiritus Sanctus*. Ψ. *Miserere miserere miserere nobis* (ib. n. 3990).

3. *O vera summa sempiterna Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Ψ. *Tibi laus ...* (ib. n. 4086).

¹⁴⁸ In HLect. (f. 169^r) habentur lectiones *Credimus sanctam trinitatem*, sub hoc titulo: « In festo sancte trinitatis. Nota quod sermo iste attribuitur Augustino in quibusdam libris, sed magis videtur compositus ex diversis dictis sanctorum ». C praebet sex lectiones sine titulo de eodem sermone (f. 63^r ss.). Eadem lectiones inveniuntur in Brev. Sarum et Exon. (HBS 37, 172 et 63, 127). In Breviario Casalino praedictus sermo Alcuino adscribitur (cf. DAMR III, XXIII, n. 9). – B (f. 229^{r-b}) et HBrev. (f. 110^{r-a}) huic festo assignant lectiones *Diximus alibi ea dici proprie in illa trinitate*, sub hoc titulo: « Augustinus in sermone de sancta trinitate *De unitate patris* etcetera ».

¹⁴⁹ Antiphonae 3, 4, 5 erasae sunt (f. 45^r), sed e rubrica ad Nonam (f. 45^v) patet antiphonam quintam fuisse *Te iure laudant*.

¹⁵⁰ De his versibus cf. Paléographie musicale XII, 82; XIV, 336-337. – P e t e r W a g n e r, Einführung in die gregorianischen Melodien I, Ursprung und Entwicklung der liturgischen Gesangsformen bis zum Ausgang des Mittelalters⁴ (reproductio phototypica ed. tertiae), Hildesheim- Wiesbaden 1962, 149-150. – v a n D i j k, Origins, 486, n. 1. – P. A l f o n z o OSB, L'antifonario dell'Ufficio Romano, Subiaco 1935, 179, nota 1.

¹⁵¹ Sarum, Exon., Laudun., Praem., Carm.; cf. DAMR III, XXIII, nn. 10-11.

¹⁵² Ita C (f. 69^v) et M (f. 44^v, « unitas » corr. in « trinitas »), Carm., DAMR III, XXIII, 10; cf. PL 94, 532. In E, B et Sarum legitur « trinitas ».

4. *O vera summa sempiterna Unitas*¹⁵², *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Ψ. *Miserere ...* (ib. n. 4086).

5. *Te iure laudant, te adorant, te glorificant omnes creaturae tuae, o beata Trinitas*. Ψ. *Tibi laus ...* (ib. n. 5120).

Antiphonae cum versibus occurrebant in Liturgia Dominicana in utroque festo S. Pauli ad Matutinum et Laudes (Ord. nn. 330 et 379), in festo S. Laurentii ad Matutinum (ib. n. 402) et in Liturgia praehumbertiana in festo Trinitatis ad Laudes. In iisdem festis eadem antiphonae cum iisdem versibus inveniuntur in Brev. Exon., Sarum.

Modum hos versus interponendi docet nos sola rubrica Ordinarii: « Post psalmum versus ante antiphonam dicatur et hoc in consimilibus observetur » (n. 330). Eadem rubrica legitur in Ord. Carm. (p. 190).

H has antiphonas Laudum Trinitatis amovit, retenta sola prima (sine versu) tamquam unica antiphona super psalmos in I Vesperis.

In Breviario OP a. 1603 omnes versus antiphonarum sublatis apparent.

h) Ad II Vesperas, secundum E dicuntur psalmi de dominica: « die salmen von dem thage » (f. 18^{rb}). In C legitur: « ps. *Dixit dominus* et cum ceteris psalmis qui secuntur » (f. 71^r), quod non aliter nisi de psalmis consuetis seu dominicalibus intellegi potest¹⁵³. Alibi quoque ad II Vesperas dicebantur psalmi de dominica, v.g. in Ecclesia Laudun., Exon., Salisbur., apud, Praem. Carm. In B et H (Ord. n. 204) indicantur psalmi *Dixit Dominus, Confitebor, Beatus vir, Laudate pueri, Laudate Dominum omnes gentes*, id est psalmi de dominica, ultimo excepto. In M iisdem psalmi ponuntur, sed ultima duo initia (*Laudate, Laudatedo*) alia manu scripta esse videntur (f. 46^r).

62. Infra octavam Trinitatis. — In E nulla habetur rubrica de octava, in M haec rubrica expuncta est (f. 46^r). Rubrica de octava in C fere eadem est atque in B, cum his tamen discrepantiis:

a) Hymni, secundum B et H, dicuntur de festo; secundum C autem de Tempore post Trinitatem, id est, ad Matutinum *Nocte surgentes*, ad Laudes *Ecce iam noctis*, ad Vesperas *O lux beata*.

b) Ad Vesperas, secundum B et H, dicuntur psalmi de festo, secundum C psalmi feriales (f. 71^r). Idem fit secundum Ord. Laudun., Salisbur., Praem. Si enim in ipso festo ad II Vesperas dicuntur psalmi

¹⁵³ Haec locutio saepe in rubricis occurrit, cf. Ord. Laud. BL VI, 340, 348; Ord. Sarum, 91; cf. infra n. 68a.

de die seu dominicales, diebus infra octavam, quando de octava agitur, non possunt dici nisi psalmi de die seu feriales.

63. Invitatoria pro dominicis a Trinitate usque ad Adventum. — Pro dominicis a dominica I post Trinitatem usque ad Adventum occurrentibus B tria exhibet invitatoria: a dominica prima post Trinitatem usque ad primam dominicam mensis octobris: *Dominum qui fecit nos Venite adoremus* (CAO III, n. 1066); a dominica prima mensis octobris usque ad primam dominicam mensis novembris (quo tempore leguntur libri Maccabaeorum): *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua et in praeceptis suis Et faciat pacem* (ib. n. 1002); a dominica prima mensis novembris usque ad Adventum: *Laudemus Dominum Deum nostrum, quia ipse est redemptor omnium saeculorum*¹⁵⁴.

L, in quo inveniuntur solae historiae dominicales pro mensibus aug., sept., oct., nov.¹⁵⁵, exhibet secundum (f. 169^r) et tertium (f. 176^v) e supradictis invitatoriis (primum enim incipit simul cum historia *Deus omnium*, quam L non praebet).

In M, dominica prima post Trinitatem praebetur invitatorium *Venite exsultemus Domino, Iubilemus Deo salutari nostro* (f. 46^v), sicut in H, sed super rasuram scriptum, et iuxta illud legitur rubrica: « Hoc invit. dicatur usque ad adventum domini exclusive in dominicis diebus quando de dominica agitur », in qua rubrica verba « adventum domini exclusive » pariter super rasuram scripta sunt (usus vocis « exclusive », in temporis limite indicando, stili Ordinari OP est proprius). Verisimile est ibi antea scriptum fuisse: « usque ad primam dominicam octobris », sicut in B. Dominica prima mensis octobris, notae musicae invitatorii expunctae sunt, sed adhuc legitur eadem rubrica quae in B: « Hoc invit. dicatur usque ad primam dominicam mensis novembris (f. 65^r). Dominica autem prima mensis novembris remansit invitatorium *Laudemus Dominum* (f. 68^r), ut in B.

H pro omnibus dominicis a dominica I post Trinitatem usque ad Adventum occurrentibus unum dat invitatorium *Venite exsultemus* (Ord.

¹⁵⁴ Huius invitatorii plures aliae inveniuntur recensiones: Sarum: *Laudemus Iesum Christum, quia ipse ...*, Carm.: *Laudemus Dominum Iesum Christum, quia ipse ...* (Ord. Carm. 168); CAO III, n. 1100: *Laudemus Dominum quem laudant angeli, quia ipse ...*

¹⁵⁵ Quare in aliquo Supplemento scriptae sunt historiae dominicales inde a mense augusto et antiphonae ad Ben. et Magn. pro dominicis post Trinitatem? Agiturne de nova huius partis Officii ordinatione, ab aliquo Capitulo Generali statuta? Cf. AFP XLIX (1979) 34.

n. 207), idem quod dicitur ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam (*ib.* n. 91). Invitatorium *Dominum qui fecit nos* fortasse suppressum est, quia iam dicebatur qualibet feria VI ab octava Epiphaniae usque ad dominicam in Passione et a dominica « Deus omnium » usque ad Adventum, quando de feria agebatur (*ib.* nn. 115 et 117). Invitatorium autem *Adaperiat*, e libro Maccabaeorum depromptum (2 *Macc* 1, 4), certe apte conveniebat ad psalmum *Venite exsultemus* (« *Nolite obdurare corda vestra* »).

In Brev. Sarum, tempore quod decurrit a Trinitate ad Adventum, quattuor habentur invitatoria dominicalia, hoc ordine: *Laudemus Iesum Christum*, *Laudemus nomen Domini* (mense sept.), *Adaperiat* (mense oct.), *Deus rex caelestis*.

64. Responsorium nonum de Trinitate. — Dominicis diebus a Trinitate usque ad Adventum, quando fiebat de dominica, ad Matutinum nonum dicebatur responsum de Trinitate. Rubrica autem quae hanc rem moderatur in B differt ab illa quae legitur in H, sed valde similis est illi quae invenitur in Ord. Sarum et Exon., ut infra patet:

Ord. Sarum, 91 (Ord. Exon., 178)

B, f. 237^v^b

« Et hoc in omnibus dominicis usque ad adventum domini ordinate observetur ut nonum responsum sit unum de trinitate quando historia dominicalis cantatur. Tamen non semper idem responsum sed unum post alterum ordinatim sicut posita sunt in historia de trinitate. Et post ultimum responsum reincipiatur ad initium historie: proxima autem dominica ante adventum quando de dominica agitur [debet] dici R̄. *Summe trinitati*.

« Sciendum est quod omnibus dominicis diebus usque ad adventum domini nonum R̄. de trinitate dicitur quando hystoria dominicalis cantatur, tamen non semper idem R̄. sed unum post alterum ordinatim sicut posita sunt in historia de trinitate et post ultimum R̄. reincipitur. Sed notandum quod cum hystoria dominicalis primo incipitur tota ex integro cantatur: et ita in illa dominica R̄. de trinitate obmittitur. Sequenti vero dominica si festum alicuius sancti non impedierit, idem R̄. de trinitate quod obmissum fuerat loco noni R̄. cantabitur ».

Rubrica, quae legitur in B, iam est terminus alicuius evolutionis, sicut patet e normis quae leguntur in M. In hoc codice bis tractatur de nono R̄. de Trinitate:

Prior rubrica, quae de hac re agit, invenitur post nonum R̄. *Factum est historiae Deus omnium* (f. 51^v), sed ex parte erasa est:

« ... omnibus dominicis diebus usque ad adventum domini .ix. R̄. de trinitate dicitur
 ... dominicalis cantetur tamen non idem semper R̄. sed unum post alterum
 ... in ystoria de trinitate et post ultimum R̄. reincipiatur ab ini
 ... quod ystoria cum primo incipitur tota ex integro cantatur et in illa
 ... trinitate obmittitur. Sequenti vero dominica si festum .ix.lc. alicuius sancti non
 ... de trinitate quod omissum fuerat loco noni responsorii cantabitur ».

Altera autem rubrica de nono R̄. de Trinitate invenitur inter rubricas generales, quae (sicut in B) habentur post dominicam I post Trinitatem et sic sonat: « Sciendum autem quod in dominica in qua ystoria incipit tota dicitur. In aliis vero dominicis unum R̄. de trinitate loco .ix. R̄.ii de ystoria dicitur ita quod prima dominica primum R̄. secunda secundum et sic de aliis sicut sunt in ordine. Si vero propter festum .ix. lc. illud R̄. de trinitate omittitur illud idem quod omissum est in sequenti dominica cantabitur » (f. 53^r). Haec altera rubrica iam non invenitur in B.

Prior rubrica repraesentat redactionem illi, quae in B legitur, antecedentem. In B iam non legitur: « post ultimum R̄. reincipiatur ab ini[tio ystorie] », ut in Ord. Sarum (« ad initium historie »), at simpliciter: « post ultimum R̄. reincipitur ». Neque legitur in B « si festum .ix.lc. alicuius sancti non [impedierit] », sed simpliciter: « si festum alicuius sancti non impedierit », quia nullum festum alicuius sancti dominicam impedire poterat, nisi esset .ix. lectionum.

In H tota res valde simplificatur: « In qualibet dominica a *Deus omnium* usque ad Adventum exclusive, quando de dominica agitur, R̄. *Honor* loco noni responsorii dicatur, postquam dominicalis historia sive in feriis sive in dominica fuerit percantata » (Ord. n. 207). In Ord. Carm. (p. 167) expressis verbis contrarium dicitur: « In qualibet dominica a *Deus omnium* usque ad Adventum, quando de dominica agitur, dicatur nonum responsorium de historia dominicali ».

Alibi, v.g. in Ecclesiis Laudunensi (BL VI, 166) et Remensi (BL VII, 154), in tertio nocturno tria responsoria de Trinitate cantabantur.

Numquam in Liturgiam Dominicanam inductum est R̄. de Trinitate *Duo Seraphim*, a Papa Innocentio III confectum ¹⁵⁶.

¹⁵⁶ van Dijk, *Origins*, 118, n. 2 et 233.

65. Historia dominicalis ¹⁵⁷ de libro Regum. — Secundum OR XIIIID (ed. M. Andrieu II, 522, n. 9 et 525, n. 27) et omnia Antiphonaria (CAO I, n. 129a) historia Regum incipit a R̄. *Deus omnium*. Ab eodem responsorio incipit haec historia in ritibus Carthusiano, Cisterciensi, Praemonstratensi, Dominicano, Carmelitano, Laudunensi, Remensi, Sarisburiensi, Exoniensi, etc. In hac serie responsoriorum R̄. *Praeparate corda vestra*, quod monita refert prophetae Samuelis ad domum Israel (1 Sam 7, 3), ponitur post R̄R̄. in quibus agitur de re Davide. Secundum autem Ordinem Ecclesiae Lateranensis ¹⁵⁸, Ordinarium Innocentii III ¹⁵⁹ et Ordinem Breviarii Haymonis de Faversham ¹⁶⁰, haec historia incipit, ordine magis logico vel chronologico, a R̄. *Praeparate*.

In M (ff. 47^r-51^v) haec historia tredecim responsoriis constat:

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Deus omnium</i> . Ψ. <i>Dominus</i> . | David coram Saul. |
| 2. <i>Dominus qui eripuit</i> . Ψ. <i>Misit</i> . | David coram Saul. |
| 3. <i>Ego te tuli</i> . Ψ. <i>Fecique</i> . | David monetur quod non ipse templum aedificet. |
| 4. <i>Praeparate</i> . Ψ. <i>Auferte</i> . | Monita Samuelis ad domum Israel. |
| 5. <i>Percussit Saul</i> . Ψ. <i>Nonne</i> . | Victoria David. |
| 6. <i>Montes Gelboe</i> . Ψ. <i>Omnnes</i> . | Lamentum David super Saul et Ionathan. |
| 7. <i>Peccavi</i> . Ψ. <i>Quoniam</i> . | Oratio Manasse (apocrypha) |
| 8. <i>Recordare</i> . Ψ. <i>Quiescat</i> . | Oratio David quando populum dinumerari fecit. |
| 9. <i>Planxit</i> . Ψ. <i>Montes Gelboe</i> ¹⁶¹ . | Lamentum David super Saul et Ionathan. |
| 10. <i>Exaudisti Dne</i> . Ψ. <i>Dne qui custodis</i> . | Oratio Salomonis. |
| 11. <i>Audi Domine</i> . Ψ. <i>Respice</i> . | Oratio Salomonis. |
| 12. <i>Dne si conversus</i> . Ψ. <i>Si peccaverit</i> . | Oratio Salomonis. |
| 13. <i>Factum est</i> . Ψ. <i>Oro Domine</i> | Assumptio Eliae. |

¹⁵⁷ « Pro quo praenotetur, quod antiphonae et responsoria ad unum diem vel observationem pertinentia vocantur Historiae »: Radulphus Tungrensis, « De canonum observantia », Prop. XII (ed. C. Mohlberg II (cf. notam zoter) 76).

¹⁵⁸ Ed. L. Fischer (cf. notam 16), 117, n. 235.

¹⁶⁰ van Dijk, Ordinal, 328.

¹⁶⁰ van Dijk, Sources II, 104.

¹⁶¹ Fere ubique versus huius responsorii sic sonat (CAO IV, n. 7389): *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos* (2 Sam 1, 21a), *ubi ceciderunt fortes Israel* (cf. ib. 1, 19, 25). M et B exhibent hanc lectionem variam: *ubi ceciderunt vulnerati multi* (2 Sam 1, 18; 1 Par 10, 1; 1 Macc 9, 40).

Ultima quattuor responsoria, in Ordinario Innocentii III¹⁶² et in Ordine Breviarii Haymonis de Faversham¹⁶³, inveniuntur, simul cum *R̄. Recordare*, addita post tertium nocturnum dominicae primae post Pentecosten¹⁶⁴, et secundum Breviarium Romanum infra hebdomadam dicebantur (sic dicta responsoria ferialia).

In B haec historia novem tantum responsoriis constat, primis scilicet novem ex tredecim quae in M praebentur; fere omnia haec novem responsoria de Saul et David agunt.

In H pariter haec historia novem responsoriis constat, quorum prima sex eadem sunt ac prima sex quae habentur in M et B; ultima autem tria sunt haec:

- | | |
|--------------------------------------|-------------------|
| 7. <i>Audi Domine. Ψ. Respice.</i> | Oratio Salomonis. |
| 8. <i>Peccavi. Ψ. Quoniam.</i> | Oratio Manasse. |
| 9. <i>Factum est. Ψ. Oro Domine.</i> | Assumptio Eliae. |

Ablatum est igitur *R̄. Planxit*, quia, ut patet, parum differt a *R̄. Montes Gelboe* (*R̄. 6*). Ablatum est insuper *R̄. Recordare*, addita sunt autem *R̄/R̄. de Salomone et de Elia*.

In Liturgia Dominicana novem responsoria historiae dominicalis infra hebdomadam repetebantur secundum ordinem feriarum, quando de tempore agebatur (M, f. 53^r; B, f. 54^{rb}; Ordin. n. 11), nec habebantur responsoria supervacanea seu ferialia. Cur in M pro historia Regum tredecim praebentur responsoria non liquet, siquidem post hanc historiam sequitur rubrica (quae deest in B et H): « Feria .ii. et per omnes ferias usque ad dominicam primam mensis aug. cantantur *R̄*ia de ystoria *Deus omnium* secundum feriam nisi festum impedierit » (f. 53^r). Quae de his responsoriis ferialibus scripsit Radulphus Tungrensis (± 1345-1403) in libro suo qui inscribitur *De canonum observantia*, hic memorare iuvat¹⁶⁵: « Historiae temporales frequentius abundant in responsoriis, ut etiam pro diebus ferialibus plura supercrescant. Sed aliqui religiosi ut Praedicatores et eos sequentes ferialia reseverunt et dominicalia secundum ordinem repetunt feriarum. In Romano tamen usu primum dominicale numquam repetitur in feriis, sed omnibus expletis, si sit feria, incipitur a secundo, et quibus hoc placet, videant Fratrum Minorum notas¹⁶⁶ ».

¹⁶² van Dijk, Ordinal, 328-329.

¹⁶³ van Dijk, Sources II, 104.

¹⁶⁴ *R̄. Factum est* ibi apparet cum *Ψ. Cumque pergerent*.

¹⁶⁵ Ed. C. Mohlberg II (cf. notam 20ter) 78-79.

¹⁶⁶ Cf. van Dijk, Sources I, 87; II, 22 et 37.

66. Responsoria historiae de Sapia In principio¹⁶⁷ eadem sunt in L, M, B, H. Notanda tamen est lectio varia in Rl. 5. *Domine Pater* (CAO IV, n. 6503). In M (f. 55^r) versus huius responsorii sonat: *Ne derelinquas me, Domine, ne accrescat ignorantia mea et multiplicentur delicta mea*, in L, B, H autem, iuxta Vulgatam: *Ne derelinquas me, Domine, ne accrescant ignorantiae meae et multiplicentur delicta mea* (Eccli 23, 3).

67. Historia de libro Iob *Si bona*. — In hac historia, primis duabus hebdomadis mensis septembris cantanda, plures discrepantiae inveniuntur inter H ex una et reliquos codices ex altera parte.

a) Rl. 2. *Antequam* (CAO IV, n. 6106), in E (ad I Vesp.), L, B sic exstat: *Antequam comedam suspiro, et tamquam inundantis aquae sic rugitus meus: quia timor, quem timebam, evenit mihi: et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi, nonne silui, et iam quievi Et venit super me indignatio tua, Domine (Iob 3, 24-26). Ψ. Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suae mole me premat, aequitatem proponat contra me (23, 6-7). Nonne.*

In H, in ipso responsorio loco *et iam quievi* legitur, iuxta Vulgatam, *nonne quievi*, et loco versus *Nolo multa* habetur, sicut in Ordinario Innocentii III et Ordine Breviarii Haymonis de Faversham, Ψ. *Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarij quoque mei recesserunt a me (6, 13). Hic versus non praebetur in CAO IV, n. 6106.*

In M, cum vocula *nonne* tum Ψ. *Ecce non est* scripta sunt super rasuram (ff. 57^v-58^r).

b) Rl. 3. *Utinam* (CAO IV, n. 7813) in L, M, B sic sonat: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, Et calamitas, quam patior, In statera (6, 2). Ψ. Quasi arena maris haec gravior appareret, unde et verba mea dolore sunt plena (6, 3). Et calamitas.*

E Versu et Repetenda *Et calamitas* non conficitur apta sententia. H autem in fine versus omittit verba *unde et verba mea dolore sunt plena*, et resumit responsorium a verbis *In statera*, quae verba bene versus abbreviato adiunguntur: *Quasi arena maris haec (calamitas) gravior appareret in statera.*

c) Rl. 6. *Paucitas dierum* (CAO IV, n. 7367) in L, M, B ita exstat: *Paucitas dierum meorum finietur brevi: dimitte me, Domine, sine*¹⁶⁸ *plan-*

¹⁶⁷ In L haec historia inscribitur: «istori von unsrem Hern» (f. 138^r).

¹⁶⁸ Modus imperativus verbi temporalis *sinere*: *sine* (subauditur *ut*) *plangam*. In M loco *sine* legitur vox *ut*, super rasuram scripta (f. 58^v).

gam¹⁶⁹ paululum dolorem meum antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine (10, 20-21). *Ψ. Ecce in pulvere sedeo et in pulvere dormio et si mane me quaesieris non subsistam* (7, 21). *Antequam.*

In H, in ipso responsorio loco verborum *sine plangam* legitur, iuxta Vulgatam, *ut plangam*, et loco versus *Ecce in pulvere* habetur *Ψ. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam* (Ps 38, 14). *Ad terram.* Hic versus non affertur in CAO IV, n. 7367.

In *R̄R̄.* 2 et 6, prout in H exhibentur, iterum apparet studium textum liturgicum quam maxime ad textum Vulgatae conformandi.

68. Historiae dominicales a dominica III mensis septembris usque ad kalendas octobres dicendae.

a) In his tribus (duabus) hebdomadis leguntur libri Tobiae, Iudith et Esther. Historia *Peto, Domine*, de libro Tobiae decerpta, quae incipit dominica III mensis septembris, sex tantum *R̄R̄.* complectitur¹⁷⁰. Ut autem habeantur novem *R̄R̄.*¹⁷¹, secundum L, M, B, adduntur ultima tria *R̄R̄.* historiae *Adonai, Domine*, e libris Iudith et Esther depromptae, quae incipit in quarta dominica mensis septembris.

En rubrica in B (f. 250^{vb}), quae fere ad verbum invenitur quoque in M (f. 60^v): « Nota quod in hac hystoria. scilicet. *Peto domine.* non sunt nisi sex *R̄ia.* et ideo oportet nos de sequenti hystoria. scilicet. *Adonay domine.* tria ultima *R̄ia* cantare que sunt. *Tribulationes.* et alia duo que sequuntur¹⁷². Et cum postea ipsam incipimus: iterum eadem *R̄ia* cantamus ».

Haec sunt *R̄R̄.* historiae *Peto, Domine*, in L, M, B:

R̄. 1. *Peto, Domine. Ψ. Omnia iudicia tua.*

R̄. 2. *Omni tempore. Ψ. Inquire.*

¹⁶⁹ B erronee legit: *plagam.*

¹⁷⁰ Ordo Rom. XV (ed. Mabillon) cap. 141: « Sciendum in primis est quod nulla historia propria vocatur, nisi habeat IX lectiones et ad minus octo responsoria. Sciendum est preterea quod ille dominice, que habent tria vel sex responsoria tantum, et reliqua sunt retro vel ante, s. de historia precedenti vel sequenti, non vocantur historie proprie » (cit. in Rassegna Gregoriana II (1903) 415-416; cf. PL 78 (a. 1895) 1349).

¹⁷¹ Secundum Ord. Laud. hac dominica dicuntur ultima tria *R̄R̄.* de Trinitate: BL VI, 180.

¹⁷² Ordinarium Innocentii III: « Septimum responsorium cantatur de sequenti hystoria. scilicet *Tribulationes civitatum.* octavum *R̄. Duo seraphim* »: van Dijk, Ordinal, 347; idem, Sources II, 112.

- R̄. 3. *Memor esto. V. In mente habeto.*
 R̄. 4. *Sufficiebat. V. Heu me.*
 R̄. 5. *Benedicite Deum. V. Ipsum benedicite.*
 R̄. 6. *Tempus est. V. Confitemini.*

Historia autem *Adonai*, pro dominicis IV et V, in iisdem mss, ita est composita:

- R̄. 1. *Adonai. V. Benedictus es (Iud.)*
 R̄. 2. *Domine rex. V. Exaudi Domine (Esth.)*
 R̄. 3. *Dominator. V. Tu Domine (Iud.)*
 R̄. 4. *Spem in alium. V. Domine Deus (Esth.)*
 R̄. 5. *Conforta me rex. V. Da nobis (Esth.)*
 R̄. 6. *Laudate Dominum. V. Laudate Dominum (Iud.)*
 R̄. 7. *Tribulationes (Iud.)*
 R̄. 8. *Nos alium (Iud.)*
 R̄. 9. *Vos qui in turribus (Iud.)*

Ex his quindecim R̄R̄., in H, composita est unica historia pro ultimis tribus (duabus) hebdomadibus mensis septembris, tribus responsoriis ex unoquoque trium librorum sumptis¹⁷³: R̄. 1. *Peto, Domine.* R̄. 2. *Omni tempore.* R̄. 3. *Tempus est.* R̄. 4. *Adonai, Domine.* R̄. 5. *Dominator.* R̄. 6. *Spem in alium.* R̄. *Conforta me.* R̄. 8. *Laudate Dominum.* R̄. 9. *Domine rex (Ord. n. 214).*

b) Antiphonae dicendae ad Magn. in I Vesp. dominicarum III, IV, V mensis septembris, in omnibus nostris mss. haec sunt: *Ingressus* (Tob.), *Ne reminiscaris* (Tob.), *Adonai* (Iud.). Secundum M et B, quarta dominica mensis incipit nova historia *Adonai*, ideoque in I Vesp. dicitur responsorium, sc. *Dominator*, et ad Magn. dicitur, si quinque fuerint dominicae, ant. *Ne reminiscaris*, si autem quattuor tantum fuerint, ant. *Adonai*, omissa ant. *Ne reminiscaris*. Idem fit secundum Brev. Sarisburiense et Ord. Exoniense (HBS 37, 188), quae easdem tres antiphonas enumerant. In H, ut iam vidimus, unica habetur historia pro his tribus (duabus) dominicis, ideoque non dicitur responsorium in I Vesp. quartae dominicae, et, si in hac mense quattuor tantum fuerint dominicae, omittitur ant. *Adonai* (Ord. n. 215).

¹⁷³ Eadem novem R̄R̄. in Ordinali Carm. (169), sed versus aliquorum responsoriorum differunt.

69. Historia de libris Maccabaeorum *Adaperiat*.

a) In Rl. 2. *Exaudiat* (CAO IV, n. 6687) codices parvam textus diversitatem ostendunt. In L, M, B hoc responsum sic exstat: *Exaudiat Dominus orationes vestras et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo* (2 Macc 1, 5) *Dominus Deus vester* (L et M: *noster*). Ψ. *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem* (ib. 1, 3). *Dominus*. In hoc responso Repetenda *Dominus Deus vester* non apte versui adiungitur: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum et faciatis eius voluntatem, Dominus Deus vester*.

In H, in fine ipsius responsorii omittuntur verba *Dominus Deus vester*, quae non pertinent ad textum Sacrae Scripturae neque propter sententiae cursum requiruntur, et Repetenda incipit a verbis *nec vos deserat*.

b) Eadem textus diversitas cernitur in antiphona *Exaudiat* (ib. n. 2772), quae dicitur ad Magn. in I Vesp. ultimae dominicae mensis octobris (Ord. n. 217): in H iterum omittuntur in fine antiphonae verba *Dominus Deus noster*.

70. Historia de prophetis *Vidi Dominum*.

a) A dominica prima mensis novembris leguntur ad Matutinum libri prophetarum: Ezechielis, Danielis, XII prophetarum. In M, prima dominica, haec invenitur rubrica: « Sed notandum quod cum primum incipitur liber ezechiel. a principio libri lectiones cum *Hec dicit dominus ... terminantur* » (f. 68^r). Videntur igitur omnes lectiones de prophetis, sine distinctione, clausula *Haec dicit Dominus* terminari debere. Idem statuitur in Ord. Exon. (HBS 37, 31), dominica prima Adventus: « Et finiantur hac die tres prime, ac alie omnes lectiones de quacumque propheta, cum hac clausula *Hec dicit dominus deus, convertimini ad me et salvi eritis* per totum annum nisi in tribus noctibus ante Pascha. Reliquae vero lectiones quae non sunt de prophetis semper cum *Iube domine* incipiuntur et cum *Tu autem domine* finiantur »¹⁷⁴.

In Ord. Praem. (p. 88) de hac regula solus liber Danielis excipitur: « Itaque prima dominica ponitur ad legendum Ezechiel, cuius lectiones per *Hec dicit Dominus*, sicut et sequentium prophetarum, terminabuntur; Daniel solus per *Tu autem* terminatur ».

In B, prima dominica Adventus, post clausulam *Haec dicit Dominus* legitur: « Hoc modo terminentur lectiones quaecumque legitur de

¹⁷⁴ Huiusmodi rubrica legitur similiter in Ord. Sarum, 8 et 98.

prophetis preterquam in danieli et primo capitulo ezechielis ¹⁷⁵ » (f. 49^{vb}; cf. 260^{vb}).

Rubrica Ordinalis Carm. coniungit normam Ordinalis Exon. cum illa quæ habetur in B: « *Visio Ysaye. In fine dicatur Hec dicit Dominus Deus, convertimini. Quod observetur in fine omnium lectionum prophetie ad matutinas, preterquam in cena domini et duobus diebus sequentibus; et nisi in primo capitulo ezechielis, et in libro danielis* » (p. 85; cf. p. 169).

Caput primum Ezechielis et liber Daniel potius historici quam prophetici considerabantur, utpote non verba Domini referentes ¹⁷⁶. Unde lectiones ex iis decerptæ non per clausulam *Haec dicit Dominus*, sed per alteram *Tu autem Domine* terminabantur.

b) In Rj. 4. *Super muros* (CAO IV, n. 7723) rursus parva textus discrepantia in codicibus notanda est. In L, M ¹⁷⁷, B responsorium ita sonat: *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes: tota die et nocte non tacebunt (Is 62, 6) laudare nomen Domini. ¶. Praedicabunt populis fortitudinem meam, et annuntiabunt in gentibus gloriam meam (ib. 66, 19) Tota die. Verba laudare nomen Domini non pertinent ad textum biblicum (62, 6), at ubique in hoc responsorio inveniuntur.*

H loco infinitivi *laudare* habet participium *laudantes*. Haec correctio facta esse videtur ut verborum constructio nitidior evaderet: *non tacebunt laudantes nomen Domini*, et ob meliorem Repetendæ cum Versu coniunctionem obtinendam: *annuntiabunt in gentibus gloriam meam laudantes nomen Domini*.

c) Pro I Vesp. dominicarum mensis novembris E, L, M has quatuor antiphonas præbent: *Vidi Dominum, Muro tuo inexpugnabili, Qui caelorum, Sustinuimus*. Easdem antiphonas exhibent Ord. Sarum et Ord.

¹⁷⁵ In HBrev. (f. 113^{vb}) eadem rubrica ac in B (f. 260^{vb}): « ... notandum quod cum legitur liber ezechielis lectiones de primo capitulo per *Tu autem*. a secundo et deinceps per *Hec dicit dominus* finiuntur ». HLect. non dat rubricam, at singulae lectiones sua clausula instructæ sunt: lectiones de primo capitulo Ezechielis et lectiones de Daniele clausula *Tu autem*, reliquæ lectiones de prophetis clausula *Haec dicit Dominus*.

¹⁷⁶ De his clausulis, cf. Ordinarium canonicorum regularium S. Laudi Rotomagensis: P.L. 147, 158; Consuetudines Cluniacenses, cap. XXIX: PL 149, 714; Guidonis abbatis Disciplina Farfensis, cap. XXXIX: PL 150, 1242; Ordinarium Cartusiense XVI, 16; DAER lib. IV, V, VI; Belet h, Summa de ecclesiasticis officiis, cap. 161: CCCM XLIA, 313; Durandus, Rationale, Lib. V, cap. 2.

¹⁷⁷ In M ultimæ tres litteræ *tes* participii *laudantes* scriptæ sunt super rasuram (f. 69^r).

Exon. cum hac rubrica: «Si quinta dominica in mense novembris forte contigerit, tunc repetatur ant. *Qui celorum* in sabbato ipsius dominice » (HBS 37, 189; Ord. Sarum, 98). In B et H (Ord. nn. 218-219) additur quinta antiphona *Aspice* (CAO III, n. 1497), quae in M scripta est in margine inferiore (f. 71^r).

71. Antiphonae ad Ben. et Magn. dominicis diebus post Trinitatem. M, B, H praebent antiphonas ad Ben. et Magn. pro 25 dominicis post Trinitatem, et totidem orationes (Ord. nn. 220-244)¹⁷⁸. In L et E praebentur antiphonae ad Ben. et Magn. pro 24 dominicis, desunt enim antiphonae quae in M, B, H indicantur pro dominica XXIV post Trinitatem, et in E deest insuper oratio *Absolve*¹⁷⁹.

In P, R, B, H habentur evangelia pro XXV dominicis post Trinitatem. Eadem series evangeliorum¹⁸⁰ invenitur in Ord. Sarisb., Exon., Carm., Laud., et est series pervulgata¹⁸¹, in qua tamen, dominica XXV, loco evangelii *Cum videritis abominationem* habetur evangelium *Cum sublevasset* (Io 6, 5-14)¹⁸². Tempore quo scripti sunt codices E et L, in ritu Dominicano, tantum 24 evangeliorum series exstitisse videtur, sicut in Ordinario Innocentii III et in illo Haymonis de Faversham, atque in ritu Cisterciensi¹⁸³, in quo deest evangelium *Loquente Iesu*, quod in ritu Dominicano dominicae XXIV assignatur (Ord. n. 720).

P, R, M, B, H (Ord. nn. 220-244), Brev. Sarum et Ord. Exon. eandem exhibent seriem orationum dominicalium¹⁸⁴. In E, ut vidimus su-

¹⁷⁸ Cf. AFP XLIX (1979) 13, n. 22.

¹⁷⁹ In E (f. 20^{va}), tempore posteriore, in marg. sinistra addita est rubrica: « Ad ben. *Loquente ihesu*. oratio *Absolve quesumus*. a. *Confide* »; in primo Supplemento integri dantur textus (f. 42^{vb}).

¹⁸⁰ Interdum formula introductoria seu *incipit* differt, v. g. dominica XX, in P, B (ex parte expunct.), Sarum, Carm., Laud., evangelium incipit: *Loquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis dicens: Simile factum est regnum caelorum homini regi ...*, in R et H autem: *Dicebat Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est ...* (Mt 22, 1).

¹⁸¹ R. J. H e s b e r t, Les séries d'Evangiles des dimanches après la Pentecôte, in *La Maison-Dieu* 46, 35-59.

¹⁸² In Ord. Laud. pericope incipit a Io 6, 1: *Abiit Iesus trans mare Genesareth.* (BL VI, 188).

¹⁸³ G u i g n a r d, 123, XXXII.

¹⁸⁴ L. B r o u, Etude historique sur les oraisons des dimanches après la Pentecôte dans la tradition romaine, in *Sacris Erudiri* II (1949) 123-124. — S.J.P. v a n D i j k, The authentic missal of the Papal Chapel, in *Scriptorium* XIV, 2 (1960) 305-307. — Oratio dominicae XIII post Trinitatem in Ord. Sarum: *Omnipotens sempiterna Deus, de cuius munere*, est eadem ac oratio *Omnipotens et misericors Deus, de cuius munere*.

pra, deest oratio *Absolve* (sicut apud Cist.), quae in ceteris codicibus Dominicanis dominicae XXIV assignatur (Ord. nn. 243, 720). Fere eadem series praebetur in Ord. Carm., ubi hac dominica XXIV, loco orationis *Absolve*, invenitur oratio *Excita quaesumus Domine potentiam tuam et veni, et quod Ecclesiae* (Deshusses, n. 808) et in Ord. Laud., ubi loco orationis *Absolve* repetitur oratio *Deus refugium nostrum* dominicae XXIII.

Antiphonae ad Ben. et ad Magn., quae in M, B, H pro his 25 dominicis inveniuntur, eadem sunt in Brev. Sarum et Ord. Exon., exceptis solis antiphonis dominicae I post Trinitatem: in codicibus Dominicanis habentur ad Ben. ant. *Homo quidam*, ad Magn. ant. *Pater Abraham* (Ord. n. 220), in Brev. Sarum et Exon. autem: ad Ben. *Pater Abraham*, ad Magn. *Fili recordare*. In Ord. Laud. autem et Carm. non paucae antiphonae differunt ab illis quae habentur in ritibus Dominicano et Sarisburiensi.

a) Dominica V, in L et B, textus antiphonae ad Magn. hic est: *Ascendens Iesus in navim et sedens docebat turbas alleluia* (CAO III, n. 1488). H autem mutat vocem *Ascendens* in *Ascendit*, manifeste ut sententiae structura (contractio textus biblici: *Lc* 5, 3-4) emendetur. In M legitur *Ascendit*, sed ultimae duae litterae *it* super rasuram scriptae sunt.

b) Dom. XIII in ant. ad Magn. *Quis tibi videtur proximus* (*ib.* n. 4551), in L, E, M, B legitur: *Qui fecit misericordiam in illo*, sed in H, secundum emendatiorem Latinum sermonem: *Qui fecit misericordiam in illum* (*Lc* 10, 37).

c) Dom. XVII, ad Ben., praeter ant. *Dixit Iesus ad legisperitos* (*ib.* n. 2293), quae in L, B, H quoque habetur, M (f. 77^r) alteram praebet ant. *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ecce homo quidam hydropticus erat ante eum, ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit* (*ib.* n. 2012).

d) Dom. XXI, in L, E, B ant. ad Magn. incipit *Cognovit autem pater*, in H vero, secundum textum biblicum (*Io* 4, 53): *Cognovit ergo pater* (*ib.* n. 1850). In M iterum vox *ergo* scriptum est super rasuram.

72. In dedicatione ecclesiae.

a) Ad I Vesperas, in E, sicut etiam in Brev. Sarum et Exon. (HBS 37, 193), dicuntur « die Ps. von dem tage » (f. 20^v) seu psalmi

feriales, secundum M, B, H quinque psalmi *Laudate*. Cantare psalmos feriales in I Vesp. festorum sollemnium erat usus Gallicanus¹⁸⁵.

b) In I Vesp., secundum E, M, H, et similiter secundum Brev. Sarum et Exon., cantatur R̄. *Terribilis est locus iste. Ψ. Cumque evigilasset*. In B (f. 281^r) autem hoc invenitur R̄. *Benedic Domine domum istam et omnes habitantes in illa, sitque in ea sanitas humilitas sanctitas castitas virtus victoria fides spes et caritas benignitas temperantia patientia spiritualis disciplina et obedientia Per infinita saecula. Ψ. Conserva Domine in ea timentes te pusillos cum maioribus. Per. Gloria. Per*¹⁸⁶.

c) Invitatorium, secundum L, hoc est: *Filiae Sion, currite, adsunt enim celebria matris vestrae sollemnia: iubilemus igitur Deo nostro unanimes qui sibi eam gratuita elegit clementia* (CAO III, n. 1079). Idem invitatorium exhibetur in Brev. Sarum et Exon. et Ord. Laud. (BL VI, 381). In M invenitur quidem, sicut in B et H (Ord. n. 249), invitatorium *Exsultemus Domino*, sed super rasuram scriptum. Textus erasus multo longior erat, quia expunctae sunt quattuor lineae (ff. 80^v-81^r). Certe antea aliud invitatorium scriptum erat, quia in rubrica de octava legitur: « per totas octavas fiat officium secundum modum et formam aliarum oct. sed hoc erit invitatorium *Exultemus domino regi summo qui suum sanctificavit tabernaculum* » (f. 86^v). In ipso festo igitur aliud invitatorium cantabatur. Re vera in fine codicis, ubi dantur modi cantandi psalmum *Venite exsultemus*, habetur initium invitatorii *Filiae syon currite* (f. 256^v)¹⁸⁷.

d) Nona antiphona Matutini, in L, M et B sic sonat: *Fundata est domus Domini super verticem montium et exaltata est super colles alleluia*. Eundem textum praebet Brev. Sarum. In CAO III, n. 2914 autem, loco verborum *exaltata est*, legitur *elevabitur* (Is 2, 2). H in fine antiphonae tollit *alleluia*, et loco *super colles* legit *super omnes colles*.

¹⁸⁵ P. Guéranger, *Institutions Liturgiques I*², Paris-Bruxelles 1878, 245. — Sic secundum Ord. Laud. et Carm. in I Vesp. Ascensionis dicuntur psalmi de die, in I Vesp. Pentecostes et Trinitatis psalmi de sabbato. Pariter secundum Ord. Praem. in I Vesp. Trinitatis (cf. notam 10).

¹⁸⁶ Cf. Pont. Rom. Germ. CXXXIX, 2 et CXCVII (ed. Vogel-Elze, II 246 et 355); Manuale Sarum (HBS 91, 79); Das Rheinauer Rituale (Spicilegium Friburgense V, 98, 132); A. Franz, *Die kirchlichen Benediktionen des Mittelalters I*, Graz 1960, 608, 636. — Invenimus hoc responsorium in Processionario OP s. xv (Londinii, BL, Add. 28214, f. 70^v) et (sine versu) in Antiphonario O.P. (Vat. lat. 10772, f. 102^r, add. post.).

¹⁸⁷ Cf. AFP XLIX (1979) 28 et 29.

e) In M, P et R, sicut in Brev. Sarum et Exon., Ordinario Innocentii III et illo Haymonis de Faversham, evangelium festi (*Lc* 19, 1-10) incipit *Egressus Iesus perambulabat Iericho*, in B et H autem, sicut in Ord. Carm., secundum textum Vulgatae, *Ingressus Iesus perambulabat Iericho*. Notandum quod P et R praebent insuper alterum evangelium: *Non est arbor bona* (*Lc* 6, 43-48)¹⁸⁸.

Iam pluries mutationes notavimus in textibus biblicis occasione aliquius recognitionis peractas, sive in ipso textu Sacrae Scripturae (nn. 8a, 72e) sive in elementis liturgicis e textibus biblicis compositis (nn. 21, 23a et c, 27a, 35b, 57c, 66, 67a et c, 71d). Exceptis mutationibus in nn. 66 et 72e relatis, ceterae omnes primum in H conspiciuntur.

f) Ordo antiphonarum super psalmos Laudum in E, L, M, B, sicut in Brev. Sarum et Ordinario Innocentii III, hic est: 1. *Domum tuam*. 2. *Domus mea*. 3. *Haec est domus*. 4. *Bene fundata est*. 5. *Lapides pretiosi*. In H, sicut in Ord. Carm., antiphonae 2 et 3 ordine apparent inverso, cuius inversionis ratio difficile assignari potest, nisi fortasse quia antiphonae *Haec est domus* et *Bene fundata est* ex parte sunt aequales.

g) *R̄R̄*. Horarum in E, L, M, B sine *Alleluia* exhibentur, licet secundum rubricas generales, quae in B leguntur, in festis totis duplicibus, quibus Dedicatio ecclesiae adnumeratur, *R̄R̄*. ad Horas cum *Alleluia* dicantur. Quia tamen infra Septuagesimam et infra octavam *R̄R̄*. sine *Alleluia* dicenda sunt (B, f. 512^{ra}; cf. Ord. OP nn. 250 et 296), fortasse idcirco semel tantum, et quidem sine *Alleluia* praebentur. In H uterque modus datur haec *R̄R̄*. cantandi, i.e. cum et sine *Alleluia*.

h) In E, L, M, post *R̄*. breve ad Nonam sequitur *Ψ. Domine dilexi decorem domus tuae. R̄. Et locum habitationis gloriae tuae*, qui est idem ac versiculus ante Laudes; in B et H autem, secundum normam generalem, *Ψ. Domus mea. R̄. Domus orationis vocabitur*, qui versiculus dicitur post hymnum Laudum (cf. supra, nn. 8e, 51c, 57e).

i) In II Vesp., ant. ad Magn. *Zachae* (CAO III, n. 5515), in E, L, M, B unico *Alleluia*, in H autem, extra T.P. sine *Alleluia*, T.P. duplici *Alleluia* terminatur¹⁸⁹.

Apparet in H studium in fine antiphonarum exclamationem *Alleluia* extra tempus paschale auferendi (n. 72d et i; cf. supra nn. 10a et 12a).

(continuabitur)

¹⁸⁸ Secundum Ord. Laud. ad Matutinum tria leguntur evangelia: *Non est arbor bona, Facta sunt encaenia, Ingressus Iesus perambulabat Iericho* (BL VI, 381).

¹⁸⁹ Plures lectiones variae in diversis mss. inveniuntur, v. g. E et L: *exceptit illum* (Vulgata); M: *accepit illum*; B et H: *suscepit illum*.

* * *

In nostra expositione his siglis et abbreviationibus usi sumus:

- C Kobenhavn, Det Kongelige Bibliothek, Ny Kgl. Saml. 632, 8^o.
Miscellanea liturgica.
- L Londinii, British Library, Add. n. 41507. Codex miscellaneus.
- V Bibliotheca Vaticana, Vat. lat. 10773. Graduale OP praeumbertianum.
- E Engelberg, Stiftsbibliothek, codex 104. Diurnale praeumbertianum, pluribus partibus, variis manibus scriptis, constans. Pars praecipua et vetustior, quae inter a. 1235-1240 scripta esse videtur, complectitur Vesperas, Horas et Completorium, additis plerumque hymnis pro Matutino et Laudibus (ff. 3-42^{va}). Primum Supplementum continet nonnullas additiones et mutationes quoad primam partem et supplet omissiones (ff. 42^{va}-43^{vb}). Alterum Supplementum comprehendit, praeter alia, Invitoria et elementa Laudum quae in parte vetustiore desunt: quartam antiphonam Laudum et antiphonam ad Ben.; hoc Supplementum, quod feria VI post Pentecosten abrum-pitur, post codicem B scriptum esse apparet (ff. 43^{vb}-46^{vb}).* Psalterium pro Vesperis et Horis (ff. 47^{ra}-52^{va}). Calendarium (ff. 55^r-60^v).
- M Houston, Menil Foundation, 65-62 DJ. Antiphonarium OP praeumbertianum, scriptum non multum post a. 1240.
- P Parisiis, Bibliothèque Nationale, lat. 8884. Missale praeumbertianum.
- R Coloniae Agrippinae, Schnütgen-Museum, Ludwig Ms. V 5, Missale praeumbertianum musicae notatum (olim a bibliopola Rau venditum).
- B Romae, Archivum gen. OP, XIV L 2. Breviarium musicae notatum praeumbertianum.
- H Romae, Archivum gen. OP, XIV L 1. Codex 500 foliorum, continens Ecclesiasticum Officium Ordinis Fratrum Praedicatorum, per quatuordecim libros distinctum, secundum correctionem et ordinationem Magistri Ordinis Humberti de Ro-

* In hoc enim Supplemento inveniuntur, ut in H, pro I Vesperis dominicae I Adventus (« An dem abende des adventes ») Rj. *Missus est* (f. 43^{vb}; cf. supra, n. 1); pro diebus infra octavam Paschae ant. super psalmos nocturni: *Surrexit Dominus* (sic) *et illuxit populo suo* ... (f. 46^{va}; cf. supra, n. 40a); feria II post Pascha, versio brevior antiphonae ad Ben. *Qui sunt hi sermones* ... (f. 46^{va}; cf. supra, n. 41a).

manis, a Capitulis generalibus aa. 1254, 1255, 1256 approbatum. Vulgo appellatur Archetypus vel Prototypus Liturgiae Dominicae.*

Pro ulterioribus notitiis de his codicibus vide AFP XLII (1972) 81-135 et XLIX (1979) 5-37.

- AFP Archivum Fratrum Praedicatorum.
AH Analecta Hymnica Medii Aevi, ed. G. D r e v e s , C. B l u -
m e , H. B a n n i s t e r , 55 vol., Leipzig 1888-1922.
BL Bibliothèque Liturgique, ed. Ulysse Chevalier. Paris 1893...
CAO Corpus Antiphonarium Officii, ed. R. H e s b e r t , 6 vol.,
Roma 1963-1979.
CCSL Corpus Christianorum, Series Latina.
CCCM Corpus Christianorum, Continuatio Mediaevalis.
DAER E. M a r t è n e , De antiquis Ecclesiae ritibus libri tres,
Antverpiae 1763-64, 4 vol.
DAMR E. M a r t è n e , De antiquis monachorum ritibus libri quin-
que, Lugduni 1690, 2 vol.
EL Ephemerides Liturgicae, Romae, 1887-...
HBS Henry Bradshaw Society, founded in the year of Our Lord
1890 for the editing of rare liturgical texts. London.
NHP Notice historique sur les rites de l'Eglise de Paris par un
prêtre du diocèse (= A.P.P. C a r o n , 1779-1850), Paris
1846.
OR Ordo Romanus
PL J.P. M i g n e , Patrologia cursus completus, series Latina.
MOPH Monumenta Ordinis Praedicatorum Historica, Romae 1896...
Ord. OP Ordinarium iuxta ritum Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum,
ed. F.M. G u e r r i n i O P , Romae [1921].
Ord. Exon. Ordinale Ecclesiae Exoniensis (= HBS 37).
Ord. Carm. Antiquum Ordinis Carmelitarum Ordinale (s. XIII), ed. P a -
t r i c k d e S a i n t - J o s e p h C.D., Tamines 1912.
Ord. Sarum W. H. F r e r e , The Use of Sarum, Vol. II, The Ordinal
and Tonal, Cambridge 1901.
Ord. Praem. P l . F. L e f è v r e , L'Ordinaire de Prémontré d'après
des manuscrits du XII^e et du XIII^e siècle, Louvain 1941.

* Nota H indicat sive integrum codicem sive singulos libros: e contextu elucebit de quonam libro agatur; interdum autem, maioris perspicuitatis causa, alia nota additur, v. gr. HGr., HPr., HMconv. = resp. Graduale, Processionarium, Missale conventuale de codice H.

- Ord. Laudun. U. Chevalier, Ordinaires de l'Eglise cathédrale de Laon (XII^e et XIII^e siècles), Paris 1897 (= BL, tome VI).
- Brev. Sarum Fr. Procter and Chr. Wordsworth, Breviarium ad usum insignis ecclesiae Sarum (a. 1531), 3 vol., Cambridge 1879-1886.
- Miss. Sarum J. Wickham Legg, The Sarum Missal, edited from three early manuscripts (s. XIII), Oxford 1916.
- Brev. Hereford W. H. Frere-L. E. G. Brown, The Hereford Breviary, edited from the Rouen edition of 1505 with collation of manuscripts (= HBS 26, 40, 46), London 1904-1915.
- Miss. Ebor. W. G. Henderson, Missale ad usum insignis ecclesiae Eboracensis (= Surtees Society 59, 60), 1874.
- Brev. Ebor. St. Lawley, Breviarum ad usum insignis ecclesiae Eboracensis (= Surtees Society 71, 75), 1880-1882.
- Andrieu M. Andrieu, Les Ordines Romani du haut moyen-âge, (= Spicilegium sacrum Lovaniense 2, 23, 24, 28), Louvain 1931-1956.
- Bruylants P. Bruylants, Les oraisons du Missel Romain, Louvain 1952, 2 vol.
- Deshusses J. Deshusses, Le sacramentaire grégorien. Ses principales formes d'après les plus anciens manuscrits (= Spicilegium Friburgense 16), Fribourg 1971.
- Guignard Ph. Guignard, Les monuments primitifs de la Règle Cistercienne publiée d'après les manuscrits de l'Abbaye de Cîteaux (= Analecta Divionensia 10), Dijon 1878.
- van Dijk S. J. P. van Dijk-Joan Hazelden Walker, The origins of the Modern Roman Liturgy. The Liturgy of the Papal Court and the Franciscan Order in the thirteenth century, London, Westminster MD 1960.
- van Dijk Sources S. J. van Dijk, Sources of the Modern Roman Liturgy. The Ordinals by Haymo of Faversham and related documents (1243-1307), Leiden 1963, 2 vol.
- van Dijk Ordinal S. J. van Dijk, The Ordinal of the Papal Court from Innocent III to Boniface VIII and related documents (= Spicilegium Friburgense 22), Fribourg 1975.
- Jahrtausend G. M. Dreves-C. Blume, Ein Jahrtausend Lateinischer Hymnendichtung, Leipzig 1909, 2 vol.